


HISTORIA

PRIMATUS LUNDENSIS.

AUCTORE

JACOBO NEUMANN,

NORVAGO-DANO,

PHILOS. DOCT.

HAVNIÆ MDCCXCIX.

LITERIS DIRECTORIS JOH. FRID. SCHULTZII,
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

MANIBUS

LAGERBRINGII

ET

SUHMII

SACRUM ESSE

HOC SUUM QVALECUNQVE

PIE VOLUIT

AUCTOR.

— pauper venit qvoqve gratus ad aras,
Et placet cæso non minus agna bove.

LECTORI.

Seculo decimo octavo jam præcipiti de primatibus dicere, episcoporum cum episcopis referre pugnas, pontificum detegere fraudes, sacerdotum describere opes, moribus studiisque ævi nostri adeo parum convenire videtur, ut qui eadem tractanda sibi sumserit auctor, ne lectoribus destituatur, vereatur necesse sit. Atque nostra tamen præsertim ætate, qua, vi nocendi sublata, irritum pontificiale quatitur fulmen, permagni erit momenti inqvirere, quomodo omnes orbis terrarum partes percurrere, opulentos solio deturbare, omniaque ubicunque conqvassare olim istud valuerit fulmen. At per stupendam & artificiose compositam hierarchiæ machinam illud in tantum circumferebatur, neque adeo vis illius diminuta est, & quo intenta sunt, feriebant tela. Istius vero machinæ partem maxime præcipuam effi-

ciebant primates, plena nullisqve limitibus circumſcripta autoritate a pontificibus inſtructi. Illi omnium potentisſimi, epiſcopi nempe Romani, perſonam gerebant, illi, qvo ſarta tectaqve eſſet hierarchia, operam conferebant, ut qvoqve curiæ Romanæ decreta exſeqvebantur. Qvanti pontificibus illorum erat opera, tantum qvoqve principibus, qvorum ſingula obſervabant facta conſiliaqve regebant, erant metuendi; atqve illi tamen ſæpius, prava ducti ambitione, qvo ſedem primatis ſuæ jactarent regiones, primatum ſubire jugum haud recuſabant. Tali modo exſtitere primates, at dum altera prolata manu bona vel mala principibus ſibi ſubjectis imprecarentur, altera contra qvendam ſuffraganeorum præpotentem, qvi primatum jus ſummum faſtidiebat, ſeſe defendere neceſſe habuerunt. Ita nullus fere reperitur primatus, qvi non graves periculoſasqve inteſtinas discordias fuerit paſſus. Primatuum primis lineis adumbrata hiſtoria, & principum hac in re am-

bitionem, & primatum quo jura illibata tuerentur continua certamina, exhibebit.

Inter primatus recentiores locum primum merito tenet Bituricensis, quem rogatu Caroli Magni Ao. 781 *condidit Hadrianus I pontifex. Per tria secula ab omnibus adversariorum injuriis fortiter jura vindicabat; at demum sub finem seculi undecimi ejusdem imperio sese subtraxit archiepiscopus Narbonnensis, quod cum seculo decimo tertio pari modo fecisset archiepiscopus Burdigalensis, quo antea conspicuus fuerat splendor prorsus evanuit. Quantum circa imperatoriam dignitatem obtinendam pontifici Johanni VIII debuerit Carolus Calvus haudquaquam fugit litterarum peritos; non ergo melius, quam si, eodem pontifice consentiente, Ansegisum, Senonensem archiepiscopum, Galliæ totius Germaniæque Cisrhenanæ primatem creasset, gratos animi sensus potuit declarare. Huic primatui inter fortissimos sese opposuit Hincmarus Rhemensis; at nihilominus per annos*

ducentos, licet quidem sæpius impugnaretur, floruit vi- guitque, nec prius evanescere coepit, quam Gregorio VII Gebuinum Lugdunensem, Galliæ primati antea suffraganeum, ecclesiæ, cui archiepiscopali dignitate adhuc præfuerat, primatem dicere placuisset. Licet mox quidem archiepiscopi nonnulli, atque præcipue Galliæ primas intercederent, nihil tamen impedivit, quo minus a Pontifice Urbano II circa finem seculi undecimi confirmationem novæ dignitatis retulerit archiepiscopus Lugdunensis; neque vero diuturnus iste fuit splendor, jam enim seculo duodecimo fastidiri coeptum est jugum primatum. Postea idem Urbanus Alphonso Hispaniæ regi lubentissime morem gessit, dum rex, gloriolam sibi captaturus, primatum Toleti erigendum exoptaret. Cui muneri Ao. 1088 *præficitur ex ordine Benedicti Bernhardus. Illud quidem institutum archiepiscopis Tarraconensi atque Narbonnensi minime arrisit, at quamvis contra niterentur, per septem tamen continuos pontifices*

confirmatus est primatus Toletanus; cumque postea primatis Hispaniæ titulum sibi arrogasset archiepiscopus Bragensis, certe haud exiguus exoritur tumultus, cujus tamen componendi curam nullam habuere pontifices. Longe vero maximam admirationem movet primatus Viennensis, quem Ao. 1120 condidit Calixtus II; cum enim qui eidem subjicerentur archiepiscopi, Bituricensis nempe atque Narbonnensis, ipsi dicerentur primates, archiepiscopo Viennensi optimum visum est primatum sese nominare primatem. De primatu Sardiniensi, cui archiepiscopum Pisanum præfecerat Alexander III pontifex, recentioribusque ab Innocentio III conditis, absit ut proloquar. Jam a me commemorata satis indicant, quasnam in historia ecclesiastica universali partes teneant primatus.

Si ergo historiam ecclesiasticam perlustranti, vel tantummodo ut rerum cognoscantur eventus, vel etiam ut, quas complectitur historia civilis, rerum gestarum fontes causæque remotiores inde eruantur, haud levis sit

momenti cognoſcere, cujusnam in regimine civili vel ecclesiaſtico autoritatis fuerint primatus, certe quoque haud erit ineptum iſtas dispellere tenebras, qvibus, cum incerta obſcuraqve ſint primatuum fata, eccleſiaſtica involuta eſt hiſtoria gentium illarum inter qvas illa viguerit dignitas; eademqve cogitans ſeſe conſolari debeat auctor, ſi pro ingenio ſeculi paucos tantum lectores ſperare ipſi licuerit.

Qvoque Daniæ ſuus fuit primatus — regno num conduxerit necne, ſcriptori pragmatico ſit dijudicandum; ejusdem vero cognoſcere fata, ne in hiſtoria eccleſiaſtica patriæ noſtræ claudicetur, ut qvidem ego cenſeo, præcipue inter Danos oriundo haud levis erit momenti.

Si ergo, qvantum in me fuerit, critica disqviſitione res geſtas ita oculis ſubjecerim, ut conſectaria tractatione practica inveſtiganda facilius inde eruantur, conſilium perfeci nec mercede fruſtrabor.

Corrigenda addendaqve:

Pag. 3. Lin. 22. Hac, *lege*: hoc

— 5. In recensione eorum, qvi litteras pontificiales ad nostrum argumentum pertinentes in lucem prodiderunt, opera *adde*: "Diplomata, Chartæ, Epistolæ & alia Documenta ad res francicas spectantia ex diversis regni, ceterarumqve regionum archivis & bibliothecis, jussu regis christianissimi, multorum eruditorum curis, plurimum ad id conferente Congregatione S. Mauri, eruta; notis illustrarunt & ediderunt *de Breguigny* & *la Porte du Theil.*" Parisiis 1791. 3 Voll. fol. in qva collectione multæ occurrunt a Baluzio haud editæ Innoc. III litteræ; & "Magazin für Kirchengeschichte und Kirchenrecht des Nordens, herausgegeben von *Prof. F. Münter.*"

— 15. Lin. 3. conspicua, *lege*: conspicuus.

— 33. — 23. h. c. *lege*: h. e.

— 45. — 15. Lundiæ, *lege*: Lundæ

— — — 26. sempore, *lege*: tempore

— 49. — 2. igitur, *deleatur*

— 60. — 22. peperiuntur, *lege*: reperiuntur

— 114. — 8. novam, *lege*: novum

— 115. — 20. am, *lege*: jam

— 123. — 7. causum, *lege*: causam

— 126. — 7. est, *lege*: &

— 144. — 3. Johannis, *lege*: Johannes

— 146. — 22. Lunda, *lege*: Lundæ

— 156. — 6. multo pretioso — abducto, *lege*: multa pretiosa — abducta

---

PROLEGOMENA.

Inter patrios verſari lares, jucundisſimum haud dubie ſemper erit rerum geſtarum ſcriptori. Cum nulla, ut bene ait Cicero, ſit omnium ſocietatum gravior, nullaqve carior, qvam ea, qvæ cum republica eſt unicuiqve noſtrum: facile continget ei, qvi inter tot rerum humanarum vicisſitudines deſcribendas depingendasqve habuerit delectum, ut eas ſibi præ ceteris ſumat, qvæ inter ſuos evenerint, ideoqve ad ſuos potisſimum pertineant. Videndum eſt tantummodo ei, qvi ad res avitas illuſtrandas accedit, ut, dum nil harum rerum ejus menti alienum manet, ipſe maneat ab omni partium ſtudio alienus veritatem unice qværens.

Ævum qvondam exſtitit, hiſtoriæ muſæ amicisſimum, qvo majorum geſtis eruendis fatisqve patriæ exponendis lucubrationes dare eruditis noſtris in deliciis fuerit. — Inclyta in annalibus ſemper mane-

bunt nomina *Grammii*, *Bartholini*, *Arnæqve Magnæi*: pie *Langebeckii* coletur memoria: & ad tumulum *Suhmii* qvis adſtet oculis ſiccis? — — Nec omnino eſſe hoc ævum deſiit; merita qvippe illorum grato tenentes animo, haud ii ſimus, qvi de ſtudiis inter nos degentium virorum iniqve ſentiamus.

Enimvero adhuc nobis ſuperſunt, & qvi omnium cum laude lauream reportarunt, & qvi nec animo nec viribus eandem, qva hi lauream captarunt, viam ingrediendi deficiunt.

Sic nunqvam non habuit ſuos hiſtoria patriæ cultores. — *Saxonem*, Daniæ faciem ſat accurate, ſi poſteriora ſecula inprimis ſpectes, nec non copioſe & limate deſcribentem, fauſto pede ſecuti ſunt & antiqviores & recentiores haud pauci. Qvot ex omnium horum opera ad nos redundaverint fructus, facillimo negotio perſpiciet, qvi, inter noſtrarum aliarumqve terrarum annales inſtituta comparatione, animadverterit nil nobis præ ceteris deeſſe, qvin ſua luce ſiſtantur patriæ fata. Hoc tantummodo forſan dandum eſt, potius civilem patriæ noſtræ ſtatum, qvam proprie eccleſiaſticum deſcribendum omnes illos ſibi ſumſiſſe. — Qvod enim ad antiqviorem eccleſiæ noſtræ faciem effingendam præſtitit *Adamus Bremenſis*, & qvod poſt eum vel recentiores perfectius exhibuerunt, haud qvidem parum eſt, attamen pro rerum mole atqve gravitate nimium deſiderari fateamur neceſſe eſt, adeo ut ſcriptori, qvi hanc hi-

ſtoriæ partem accuratius tractare cupiat multa ſuperſint marte, ut ajunt, proprio tentanda.

Hac igitur in re cum aliqvid experiri ſtatuiſſem, me induxit vir inter noſtrates, ut omni eruditionis laude florentisſimus, ita & horum ſtudiorum longe peritisſimus, *Münterus*, ut in illam potisſimum hiſtoriæ noſtræ eccleſiaſticæ inqvirerem epocham, qvæ tot tamqve graves, ob primatum Archiepiſcopo Lundenſi a curia Romana conceſſum, rixas cum vicina Sveciæ eccleſia ortas complectitur. — Eqvidem vero, pro gravi argumento aliqvamdiu dubius hærens, vix hanc ſuſcepiſſem inveſtigationem, niſi credidisſem, lectores, qvo difficilior eſſet rei tractatio, eo qvoqve meis qvalibuscunqve conatibus fore faciliores. Eſt enim argumentum & abſtruſius ſæpe, & longius complectens ſpatium annorum.

Primatus Lundenſis per ſeriem decurrit qvatuor fere ſeculorum, cujus temporis ratione habita, ſi plenam omnibusqve numeris abſolutam ipſius hiſtoriam, in ſingulas videlicet res & perſonas diligentius inqvirens, ſcriberem, nimis arduum foret opus modumqve inſtituti mei excederet. Hac ergo præcipue mihi agendum eſſe duxi, ut, diſputatione certis limitibus circumſcripta, *Læta & adverſa Primatus Lundenſis*, qvatenus ei juribus olim conceſſis magis minusve uti licuerit, fata exponerem, poſthabitis,

qvæ ſinguli ejus Archiepiſcopi in eccleſiæ aliorumve commoda ultra hunc finem egerint.

Impedimentis vero haud levibus vel hoc coeptum premi non eſt qvod dicam hiſtoriæ ſcribendæ peritis. Haud qvidem plane neglectus hic campus ſeſe offert, qvippe in qvo aperiendo, ita ut hiſtoriam primis lineis adumbraverint, celeberrimos rerum ſeptentrionalium ſcriptores jampridem deſudaſſe reperies; attamen ſi qvis fontes ſubſidiaqve, qvorum illi ſcriptorem ſæpe deficiunt, hæc vero, ni circumſpectius verſetur, haud raro in errorem ducunt, ſedulo fuerit contemplatus, munus dicet anceps per tenebras incertas ex abditis qvaſi latibulis conſiliorum ſecreta in lucem protrahere.

A *fontibus* ordiar. Inter præcipuos hujuſce argumenti fontes *Litteras pontificum Romanorum*, ſeu, ut vulgo appellantur, *Bullas* haud dubito referre. Qvando, qvaqve ratione eſſe coeperit primatus Lundenſis, qvibus ornatus fuerit juribus emolumentisqve, qvasnam ſubierit temporis ſucceſſu mutationes, qvomodo ſe in illo tuendo geſſerint pontifices, qvando deniqve eſſe deſierit: hæc omnia, cum ex bullis certisſime, dum modo ſint genuinæ minimeqve corruptæ, petenda eſſe ducuntur, eo ipſo nobis, teſtimoniorum documentorumqve loco, fontes fiunt primarii. Qvanto major ergo nobis harum ſuppetat copia, tanto qvoqve verior, accuratior, integriorqve hiſtoria ſiſtetur. Ut taceam illos, qvi, in rebus Dani-

cis Sveticisqve defcribendis, variis fuis operibus pontificiales illas litteras inferuere a), præcipuam fibi laudem in bullis colligendis, qvibus illuftretur hiftoria feptentrionalis, meruerunt e fvetica gente inprimis celeberrimi *Örnhielmius* b) & *Peringfkioldius* c) qvorum laboribus, cum ob deficientes fum-

a) Inter eos, qvi bullas & diplomata ad res Sveticas facientia operibus paffim adjunxere, *Magnus à Celfe in apparatu ad hiftoriam Sveogothicam*, fect. I. ed. Holmiæ [illegible] p. 2. recenfuit: Joh. Gothum, Vaftovium, Phil. Cæfarem, Lambeccium, Lindenbrogium, Maderum, annalium Baronii continuatores, Bzovium & Raynaldum, Sirmondium, Baluzium, Joh. Alb. Fabricium, Meffenium, Örnhielmium, Peringfkioldium, Staphorftium, Actorum Upfalenfium collectores, differtationum deniqve academicarum varios auctores; qvibus vero non addidiffe Schefferum, Benzelium, Vildium & Lagerbringium eft qvod mireris. E noftratibus heic apponam Huitfeldium atqve Pontoppidanum.

b) "*Claudii Arrhenii Örnhielmii* Bullarium Sveogothicum, feu fylva omnium Romanæ fedis Diplomatum, feu, ut vocant, Decretalium Epiftolarum ad Reges, Duces, regniqve hujus Proceres ac Ordines, Archiepifcopos, Epifcopos, Abbates, Monafteria &c. fcriptarum, inde a confpicuis magis rei Chriftianæ in hoc regno initiis, usqve ad tempora noftra, aut noftris proxima, qvibus lux innumeris locis adfertur rebus patriæ, & veris Scriptorum narrationibus conciliatur autoritas, falfis autem detrahitur fides. Volumen fpiffum & ingens". Ita hoc Örnhielmii opus ineditum infcriptum ex catalogo ejus operum binis in 4to foliis edito apparet. Vid. Bullarium Sveo-Gothicum, *auctore Magno à Celfe*, in ejusdem apparatu ad Hiftoriam Sveo-Gothicam p. 2.

c) Titulum trium in folio grandiorum voluminum *Peringfkioldius* ipfe appofuit hunc: "Bullarium Romano-Sveo-

tus edi non possent, ita usus est *Cel. Magnus à Celse*, in suo ad Hist. Sveogoth. apparatu, ut indicem bullarum secundum ordinem temporum digestum breviqve adjuncta argumentorum recensione instructum, a Pontifice inde Pascali I usqve ad Urbanum VIII publici juris fecerit, qvem pars secunda excepisset nisi mors interveniens consilium frustrata esset. Cum vero nihilominus multæ desiderarentur Bullæ, e qvibus lux Scandicæ historiæ accessura credebatur, *Carolus Frid. Fredenheim*, adjutus *Piranesio*, legati Svetici munere Romæ ornato, ex variis tabulariis Pii VI, cujus benevolentia hac in re eximia censenda est, transscribi curavit qvotqvot invenirentur hucusqve desideratæ, ad historiam Septentrionalem pertinentes, Bullæ 183, ab anno 1198 ad 1585 usqve exaratæ d), qvæ cum Holmiam advectæ essent qvodammodo sublevarunt defectum; attamen tam longe ab-

Gothicum, sive Sylloge omnium Romanæ Sedis Diplomatum, vel Decretalium Epistolarum ad regni Sveo-Gothici Reges, Duces, Proceres ac Ordines, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & Monasteria scriptarum, qvas ad rei antiqvariæ illustrationem, tam in Historia ecclesiastica, qvam politica, a primis fere religionis Christianæ initiis usqve ad tempora Reformationis, justa serie collectas, ex genuinis maxime originalibus & partim authenticis, in Rom. Antist. Archivo servatis, fideliter exscribi, atqve sigillis pontificalibus in fidem delineatis, edi curavit *Johannes Peringskioldius*. Vid. Bullarium Magni à Celse p. 3.

d) Vid. Prolegomena Accessionis ad Recensionem Bullarii Romano Sveo-Gothici, a nob. à Celse editam. Aboæ 1797. 4to.

eſt, ut ab omni cura nos reddant immunes, ut potius jam magis qvam antea omni ſpe deſtituti videamur, fore, ut aliqvando noſtri juris fiant illa haud pauca ejusmodi monumenta, qvæ cum ad alias, tum ad has, qvas nos tractabimus res rite illuſtrandas, adhuc reqviruntur, qvorumqve e deſiderio tot ambiguitates materiæ tractandæ oriantur neceſſe eſt. Talia enim gravioris momenti documenta, cujusmodi v. c. bulla fuerit, qva olim ſancitus eſt primatus Lundenſis, re vera exſtitiſſe, procul dubio eſſe videtur; multaqve, qvibus nos jam deſtitutos ſentimus, hominum culpa injuriave temporis intercidiſſe, res eſt, qvæ patrocinio hiſtoriæ gaudet e), qvæ, niſi adhuc in chartophylaceis pontificialibus deliteſcant, omnino deperdita credere jubemur. Nec eſt, qvod ex laboribus noſtratium, qvi in diplomatariis ad hiſtoriam patriæ illuſtrandam colligendis, immortalem ſibi qvæſivere laudem, qvales fuerunt *Gramminus*, *Langebeckius* & *Suhmius* jacturæ hujus reparandæ ſpes nobis ſuperſit, nam & in ea, illorum cura diligenter facta bullarum collectione, qvæ in archivis regiis ſecretioribus Havniæ nondum edita reſervatur f),

e) Conſtat, v. c. Ericum VIII (Menved) olim, Johanni Grand, Archiep. Lund. iratum, templum Lundenſe intraſſe, omnesqve, qvas inveniſſet chartas, ibi reſervatas, incendio deleviſſe.

f) Titulo hæc collectio hactenus caret. At non ſilentio prætereundum eſt *Diplomatarium Arna-Magnæanum* qvod II. T. 4. edidit celeberrimus noſter *G. J. Thorkelin*. Havn. 1786.

partim multa, partim eadem deſiderantur, qvæ nos qværimus diplomata. Qva de re, cum ipſe vir immortalis, qvem nunc beatum prædicamus, *Suhmius* me certiorem facere olim dignatus eſſet, varia, qvorum fides deperditis hiſce monumentis ſuperſtrueretur, pro incertis relinqvere, aut, conjecturarum ratione inſtituta, hiſtoriæ qvodammodo reddere coactus fui. — In iſto itaqve bullarum defectu, qvo laboraſſe conſtat vel bullarium *Magni à Celſe*, de incremento, qvod cura *Fredenheimii* fontibus hiſtoriæ ſeptentrionalis acceſſit, merito nobis gratulamur. Verſabatur in ipſis bullis cura congeſtis Peringſkioldii edendis nob. ille *Celſius*, cum morte impeditus opus inceptum celeberrimo in academia Aboenſi Profeſſori *H. G. Porthano* relinqvere coactus ſit, cujus opera jam qvinqve, qvod ſciam, faſciculi prelo ſubjecti ſunt, ad dimidium usqve ſec. XIII pergentes. Qvi licet haud parum mihi attulerint adjumenti, in eo tamen felicior fui, qvod benigniſſimo in me favore celeber. *Munteri* ipſo omnium illarum, qvæ Ao. 1783 Holmiam advectæ ſunt, bullarum *catalogo*, ad exemplar in bibliotheca beati *Celſii* manu exarato, mihi uti licuerit, qvo ſublevatus qvædam ab hiſtoricis hucusqve derelicta qvodammodo ſolvere potui.

His fontibus ita uſus, ut ex iis, qvæ ad rationem inter curiam Romanam atqve primatum Lundenſem intercedentem pertinerent, potiſſimum hau-

ſerim, non tamen ceteros, qvos ſecundario loco habemus fontes neglexi. Hic merito nominamus *Saxonem* g), qvi, ut in majorum rebus geſtis ſeculorum priorum enarrandis, vagus, ita, dum de iis, qvæ ſeculo XII & XIII geſta ſunt, loqvitur, certus & firmus, adeoqve fide dignus, primus expoſuit initia primatus Lundenſis. *Huitfeldius* h) ceteriqve, ut epocha deſcribenda poſteriores, plura qvidem habent, at eadem ſæpius minus certa, juſtoqve ordine & nexu deſtituta. Qvem Huitfeldius in ſuo chronico epiſcoporum qvoad Archiepiſcopatum Lundenſem ſecutus eſt, *Magnus Matthiæ* i) mihi qvoqve inter fontes fuit, ut & *Nicolai Archiepiſcopi Lundenſis* Chronica epiſcoporum Lundenſium k), vetusqve chronicon de archiepiſcopis Upſalenſibus a *Scheffero* editum l). *Adamum Bremenſem* m), licet haud proprie ad ævum pertinet primatus Lundenſis, haud omnino a me negligi potuiſſe qvisqve videt, ut

g) Hiſt. Danic. Libr. XVI. ed. Steph. Soræ 1644. fol.

h) Danmarckis Rigis Krönicke. Havn. 1652. T. II. fol. It. Ejusd. Biſpekrönicke.

i) Epiſcoporum eccleſiæ Lundenſis ſeries, ed. Th. Bartholin. Hafniæ 1710. 8.

k) Chronica epiſcoporum Lundenſium ed. Th. Bartholin. Hafniæ 1709. 8.

l) Incerti ſcriptoris Sveci breve chronicon de archiepiſcopis & ſacerdotibus ceteris eccleſiæ Upſalenſis, ed. Joh. Schefferus Upſaliæ 1673. 8.

m) Hiſtoria eccleſiaſtica, ed. And. Vellejus, Hafniæ 1579, atqve inſerta Lindenbrogii Script. Septentrional. Hamburgi 1706. fol. una cum libro Adami de ſitu Daniæ.

Cranzii n) qvoqve & *Pontani* o), de rebus gestis borealium expositiones non temere contemnendas esse censui. Plures non dico, nam qvod mihi *Snorra Sturlonis* p) *Tormodusqve Torfæus* q) operæ tulerunt, parvi est momenti.

Subsidia qvod attinet, tanta est unam alteramve hujus argumenti partem illustrantium librorum copia, ut si qvis numerare, qvam ponderare maluerit, esse levissimæ tractationis argumentum dicat; nec tamen ideo juste, siqvidem pleraqve hæc subsidia e Svecis scriptoribus petenda sunt, his vero plerumqve accidit, ut prisci ævi, ecclesia Svecana primatui Lundensi subjecta, cum indignatione recordantes, haudqvaqvam rem iis, qvibus oportuit oculis, sint intuiti, sed potius a vero aberrantes, ex ipsius hujus primatus historia materiam cavillandi rixandiqve cupide petierint; hoc vero modo detrimentum necessario capere rerum expositionem qvis non videt? Ex antiqvioribus haud pauca historico grata porrigit *Ericus Olai* r), ecclesiæ Upsalensis olim decanus.

n) Regnorum aqvilonarium, Daniæ, Sveciæ, Norvagiæ Chronica. Francofurti ad Moenum 1575. fol.

o) Rerum Danicarum historia Libr. X. Amstelod. 1631. fol.

p) Heimskringla, ed. Schiönning & Thorlacius. Havn. 1777-1783. T. III. fol.

q) Historia rerum Norvegicarum T. IV. Hafniæ 1711. fol.

r) Historia Suecorum Gothorumqve ed. Joh. Messenius Stockholmiæ 1615. 4.

Multa bona & utilia ad hanc historiam illustrandam certe exhibuisset *Johannes Magni* s) nisi nimio eodemqve falso amore patriæ captus, ejusdem potius decantasset encomia qvam fata descripsisset. Adeo nimirum honori, ut putat, patriæ consuluit, ut negare, Upsaliæ ullum archiepiscopum a primate Lundensi pallium accepisse, non dubitaverit. *Messenio* t) si vel sæpe est ambigua fide omniaqve in hoc argumento Danorum in contumeliam vertere solet, hoc tamen tribuendum, qvod multa collegerit historico profutura. Nimis confidenter hunc scriptorem & *Schefferus* u) & *Örnhielmius* x) secuti, in multa ejus vitia incidere. *Baazius* y) christianæ suorum libertati, ut dicit, fuit adeo amicus, ut Stephanum archiepiscopum primum Upsalensem a pontifice Romano fuisse confirmatum ne admittere qvidem voluerit. Æqviores ceteri, *Peringskioldius* z), *Benzelius* a), *Rhy-*

s) Gothorum Sveonumqve historia Lib. XXIV. Basil. 1558. 8.

t) Scondia illustrata Tom. XV. ed. Joh. Peringskiold. Stokholmiæ 1700-1705. fol. Chronicon episcoporum per Sveciam, Gothiam & Finlandiam. ibid. 1611. 8.

u) Upsalia antiqva. Upsal. 1666. 8. & Notæ ad vet. chronicon Archiep. Upsal. supra dictum.

x) Historiæ Sveonum Gothorumqve ecclesiasticæ Lib. IV. Stokholmiæ 1689. 4.

y) Inventarium ecclesiæ Sveogothorum Libr. VIII. Lincopiæ 1642. 4.

z) Monumenta Uplandica. Stokholmiæ 1710. fol. Monumenta Ullerakerensia cum Upsalia nova illustrata. ibid. 1719. fol.

a) Monumenta vetera ecclesiæ Sveogothicæ. Upsaliæ 1709. 4.

zelius b), *Spegelius* c) atqve *Vidius* d), nec tamen plane ab illo partium ſtudio alieni. Cum *Dalino* e) melior incipit hiſtoriæ periodus, & *Lagerbringius* f) omnium facile princeps, hunc potisſimum ducem, licet haud temere, ſecutus, & vitia prædeceſſorum multa emendavit, & plura, qvam ceteri omnes, exposuit facta, e qvibus, juſta adhibita colligendi ratione, integriorem hujus rei, de qva dicimus, hiſtoriam componere facilius erit. Celebre in hiſtoria moribusqve ſuæ gentis ſcribendis tenet nomen *Botinus* g); nec, qvi nuperrime de Suecia ſcripſit, reticendus eſt *Hüllmannus* h). Hæc de Suecis. E noſtratibus primo loco ponendum *Suhmium* i), qvis dubitat? tum *Pontoppidanum* k), qvi in noſtra eccleſia deſcribenda haud primatum Lundenſem prorſus intactum reliqvit; deinde ceteros rerum Danicarum ſcriptores, ut *Lyſchandrum* l), *Svanningium* m), *Hol-*

b) Epiſcopoſcopia Sviogothica. T. II. Linkiöping. 1754. 4.

c) Chronicon epiſcoporum.

d) Sveciæ Hiſtoria pragmatica. Holmiæ 1731. 4.

e) Suearikes Hiſtoria 3 D. Stokholm 1765. 4.

f) Suearikes Hiſtoria 4 D. Stokholm 1772-1783. 4. Monumenta Scanenſia. Londini Gothorum.

g) Suenſka Folkets Hiſtoria 1 D. Stokh. 1789. 8. ceteri duo tomi antiqviori ſunt editione.

h) Handbuch der Geſchichte von Schweden. Warſchau 1797. 8.

i) Hiſtorie af Dannemark. 6 D. Kiöbenhavn 1782-1793. 4.

k) Annales eccleſiæ danicæ diplomatici T. IV. Hafn. 1741-1745. 4.

l) Synopſis hiſtoriarum Danicarum. Hafniæ 1622. fol.

m) Chronologia Danica. Hafniæ 1650. fol.

bergium n), *Meursium* o), *Malletum* p), *Gebhardi* q), *F. Snedorff* r), *Hüllmann* s), *G. Baden* t), qvanqvam minus ad rem faciunt, qvibus deniqve adjungam *Münterum* u), qvatenus ecclesiasticas res nostras haud exiguis locupletavit symbolis.

Præter hæc qvidem inter subsidia referenda dissertationum academicarum farrago x), qvas de una alterave hujus argumenti parte contexuerunt eruditi haud pauci, maxime Sveci, qvæ cum difficilius habentur, in eo qvoqve mihi se faventissimum præbuit

n) Danmarks Riges Historie. Kiöbenh. 1753-1754. T. III. 4.
o) Historia Danica ed. J. Grammius. Havn. 1746. fol.
p) Histoire de Danmarc. Copenh. 1758-1777. T. III. 4.
q) Dannemarks Historie. Kiöbenh. 1782-1798. T. VI. 4.
r) Samlede Skrifter 4de Deel. Kiöbenh. 1797.
s) Geschichte von Dännemark. Warschau 1796. 8.
t) Danske Riges Historie. Kiöbenh. 1797. 8.
u) Magazin für Kirchengeschichte und Kirchenrechts des Nordens. Copenh. 1792-1796. 2 B. Vermischte Beyträge zur Kirchengeschichte, Copenh. 1798. 8.
x) v. c. *Stobæi* tria antiqva monumenta historica Lundensia. Londini Gothor. 1734. 4. *Georgi* de concilio Skenningensi. Upsal. 1761. 4. *Nettelbladt* de episcopis regni Suionici Romano-catholicis. Jenæ 1729. 4. *Wilksmann* de Hierarchia pontificia in regno Suiogothico. 2. diss. Upsal. 1740-1742. 4. *Sommelius* de meritis & fatis Eskilli. Londini Gothor. 1764. 4. *Fant* de meritis Jac. Ulphonis. Upsaliæ 1784. 4. *Sommelius* de initiis Archiepiscopatus Lundensis. Lond. Goth. 1767. 4. *Lagerbring* de episcopis eorumqve insignibus in Suiogothia. Lond. Gothor. 1745. 4. *Id.* de episcopo principe Lond. Gothor. 1758. 4. *Id.* de concilio Helsingburgensi 2 Dissert. Lond. Goth. 1751-1754. 4.

Munterus noster, qvi ex locupletissimo suo apparatu benignissime hæc mecum communicaverit. At — ne taceam, sapiunt omnes fere hi autores, *Lagerbringium* si exceperis, ut superiores illi, nimium, qvatenus hoc controversiæ punctum attigerint, pro ecclesia Svecana studii, unde qvoqve haud exoptatam nobis afferre potuerunt utilitatem. In argumento nostro qvasi in universum exponendo versatur qvidem opusculum qvoddam academicum *Car. Fred. Georgii* qvod inscribitur *"dissidia de primatu inter sedem archiepiscopalem Upsalensem & Lundensem"* inscriptioni autem congrue, ita *breviter* est expositum, ut catalogus nominum, qvam historia rectius dicatur.

His vero præcipuis, aliisqve suo loco ponendis y) usus subsidiis, & ex fontibus circumspectione maxime solicita hauriens, id unice egi, ut neminem omnium temere secutus, omnibus tamen judicio & arbitrio meo sim usus, nil committens, qvo minus hoc meum qvalecunqve opus, si non laude, attamen venia eruditorum foret dignum. Qvod interim *Lagerbringio* præ ceteris debeam, si animo minus grato reticuissem, ipsum tamen proderet opusculum.

y) v. c. *Bowers* Geschichte der römischen Päpste, übersezt von Rambach. *Marca* de primatibus. Jus ecclesiasticum ed. *van Espen*. *Rothe* om Hierarkiet &c.

Ceteroqvin, ut de *forma tractationis* vel pauca moneam, ſingulas argumenti partes ita diſpeſcui, ut, *tabula ſynchroniſtica* z), qva magis conſpicua reddatur rerum geſtarum ordo, in fronte poſita, nonnullisqve de primatibus in univerſum diſputatis, primo initia eccleſiæ, & nominatim primatus Lundenſis; deinde vero id temporis ſpatium, qvo pleno dignitatis jure uſi ſint hujus eccleſiæ primates, exhibuerim; tum modum rationesqve expoſuerim, qvibus ſenſim ſenſimqve hi ipſi de gradu ita fuerint dejecti, ut poſtremo nil præter nomen fere priſtinæ auctoritatis iis relinqveretur.

Ut hiſce meis præterea id adderem, qvod argumento illuſtrando, ut & uſui hiſtorico inſerviret haud abs re neo lectoribus ingratum fore judicavi, ſi recenſionem documentorum huc facientium graviorisqve momenti, qvomodo hoc egit *Celſius*, opuſculo adjungerem. Hanc vero, appendicis inſtar, talium litterarum, qvas maxime præcipuas duxi, & qvarum nonnullæ rarius occurrunt, factam collectionem, *diplomatarium* inſcripſi. — Ceterum celeber-

z) In hac tabula conficienda maxima ex parte ſecutus ſum e noſtratibus *Suhmium*, e Svecis *Roſenhanes* Suearikes Konunglängd. Stockh. 1789. 4. aut, ubi certior viſus eſt, *Lagerbringium*; qvoad chronologiam vero pontificum potisſimum mihi autor fuit *Bowerus*.

rimi noſtri *Moldenhaveri*, & qvoqve doctisſimi *Nyerup* ea, ac par eſt obſervantia, humanitatem in me recolo, qvorum uterqve ex publicis, qvibus cum laude præſunt Bibliothecis, prout mihi commodum fuerit, libris uti conceſſerit.

TABULA SYNCHRONISTICA:

Tabula Syn-

Hiſtoriam illuſtrans

Ao.	Pontifices romani.	Primates Lundenses.
1152	Eugenius III.	= =
1153	Anaſtasius IV.	= =
1154	Hadrianus IV.	Eſkillus.
1155	= = =	= =
1157	= = =	= =
1159	Alexander III.	= =
1161	= = =	= =
1163	= = =	= =
1167	= = =	= =
1177	= = =	Abſalon.
1181	Lucius III.	= =
1182	= = =	= =
1184	= = =	= =
1185	Urbanus III.	= =
1187	Gregorius VIII.	= =
1187	Clemens III.	= =
1188	= = =	= =
1191	Coeleſtiuus III.	= =
1198	Innocentius III.	= =
1199	= = =	= =
1201	= = =	Andreas Sunonis.
1202	= = =	= =
1207	= = =	= =
1210	= = =	= =
1216	Honorius III.	= =
1220	= = =	= =
1222	= = =	= =
1224	= = =	Petrus
1227	Gregor IX.	= =
1230	= = =	Uffo.
1236	= = =	= =
1241	Coeleſtinus IV.	= =
	(Sedes vacat 1241—1243)	
1243	Innocentius IV.	= =
1250	= = =	= =
1252	= = =	= =
1253	= = =	Jacobus Erlandi.
1254	Alexander IV.	= =

chroniſtica,

primatus Lundenſis.

Archiepiscopi Upsalenses.	Reges Daniæ.	Reges Sueciæ.
=	Sueno Grathe	Suerker I.
=	=	
=	=	
=	=	Ericus IX.
=	Valdemarus I.	
=	=	
=	=	Carolus VII.
Stephanus	=	
=	=	Canutus
=	=	
=	=	
=	Canutus VI.	
=		
Johannes		
=		
=		
Petrus		
=		
Olavus Lambatunga		
=	=	Suerker II.
=		
=	Valdemarus II.	
Valerius		
=	=	Ericus X.
=	=	Johannes I.
Olaus II.		
=	=	Ericus XI.
Olavus Baſatömir		
=		
=		
Jarlerus		
=	Ericus IV. (Plovpenning)	
=		
=	Abel	Valdemarus
=	Chriſtophorus I.	

Ao.	Pontifices romani.	Primates Lundenses.
1257	= = =	= = =
1259	= = =	= = =
1261	Urbanus IV. (Sed. vac. 1264—1265)	
1265	Clemens IV. (Sed. vac. 1268—1271)	
1271	Gregorius X.	
1274	= = =	Erlandus (electus)
1275	= = =	= = =
1276	Innocentius V. Hadrianus V	Trugothus Tostani.
	Johannes XXI.	
1277	Nicolaus III.	
1278	= = =	= = =
1281	Martinus IV.	= = =
1282	= = =	Johannes Droqs
1285	Honorius IV.	= = =
1286	= = =	= = =
1288	Nicolaus IV.	
1289	= = =	Janus Grand
1290	= = =	= = =
1292	(Sed. vac. usque ad 1294)	
1294	Coelestinus V. Bonifacius VIII	
1295	= = =	= = =
1303	Benedictus XI.	Isarnus.
1304	(Sed. vac.)	
1305	Clemens V.	
1308	= = =	= = =
1310	= = =	Esgerus.
1314	(Sed. vac. usque ad 1316)	
1315	= = =	= = =
1316	Johannes XXII.	
1319	= = =	= = =
1325	= = =	Carolus.
1332	= = =	=
1333	= = =	=
1334	= = =	Petrus
1335	Benedictus XII.	
1340	= = =	= = =
1342	Clemens VI.	= = =
1350	= = =	= = =
1352	Innocentius VI.	= = =
1353	= = =	= = =
1355	= = =	Jacobus Nicolai
1361	= = =	Nicolaus
1362	Urbanus V.	= = =
1363	= = =	= = =

Archiepiscopi Upsalenses.	Reges Daniæ.	Reges Sueciæ.
Laurentius		
=	Ericus VII. (Glipping)	
Folce	=	Magn. I. Ladul.
Jacobus Israelis		
Johannes Adolphi (electus)		
Magnus Boeti		
=	Ericus VIII. (Menved)	
Johannes III. (electus)	=	Birgerus
Nicolaus Allonis		
Nicolaus Ketilli		
Olavus Beronis		
=	Christophorus II.	Magn. II. Smek
Petrus Philippi		
=	Interregnum usque ad 1340	
=	Valdemarus IV.	
Hemmingius		
=	=	Ericus XII.
Petrus Tyrgilli		
=	=	Hakinus II.
=	=	Albertus

Ao.	Pontifices romani.	Primates Lundenses.
1367	: : :	: : :
1371	Gregorius XI.	
1375	: : :	: : :
1378	Urbanus VI.	
1379	: : :	Magnus
1383	: : :	: : :
1387	: : :	: : :
1388	: : :	: : :
1389	Bonifacius IX.	
1390	: : :	Petrus
1391	: : :	Jacobus Gerardi
1396	: : :	: : :
1404	Innocentius VII.	
1406	Gregorius XII.	
1409	Alexander V.	: : :
1410	Johannes XXIII.	Petrus Krufe
1412	: : :	: : :
1417	Martinus V.	
1418	: : :	Petrus Lycke
1422	: : :	: : :
1431	Eugenius IV.	
1432	: : :	: : :
1436	: : :	Johannes Laxmand
1438	: : :	: : :
1440	: : :	: : :
1443	: : :	Tuvo
1447	Nicolaus V.	
1448	: : :	: : :
1455	Calixtus III.	: : :
1457	: : :	: : :
1458	Pius II.	
1464	Paulus II.	: : :
1469	: : :	: : :
1471	Sixtus IV.	
1472	: : :	Johannes Brocksdorp
1481	: : :	: : :
1484	Innocentius VIII.	
1492	Alexander VI	
1497	: : :	Birgerus Gunnari
1503	Pius III. Julius II.	
1513	Leo X.	: : :
1514	: : :	: : :

Archiepiscopi Upsalenses.	Reges Daniæ.	Reges Sueciæ.
Birgerus Gregorii		
=	Olaus II.	
Henricus		
=	Margaretha	
=	=	Margaretha
=	=	Eric.XIIIPom.
Johannes Jerechini		
=	Ericus Pomeranus	
Johannes Haquini		
Olaus Laurentii		
Nicolaus Ragvaldi *		
=	Christoph. III. (Bavaricus)	Christ.(Bav.)
Johannes Benedicti	Christiernus I.	Car.VIIICan.
=	=	Christiern.I.
=	=	Carolus VIII.
Jacobus Ulphonis		
=	Johannes	
=	=	Johannes
=	Christiernus II.	
Gustavus Trolle		

Cap. I.

De primatibus in universum, atqve nominatim de archiepiscopis Lundensibus hoc nomine insignitis — primæ lineæ.

1. *Notio vocis primatis.*

Primatis titulus, qvem tanta ambitione episcopos olim petiisse videmus, fere idem fuit cum patriarchali. Si jus canonicum consulamus, patriarcharum nomine insigniri, eorundemqve juribus uti primates inveniemus. Scriptores tamen nonnulli ecclesiastici, in vera vocis notione constituenda haud raro hærentes, inter primatem atqve patriarcham interdum distingvere volunt. Hincmarus Rhemensis trium generum primates faciens a), patriarchas semper primates appellat at non vice versa. Johannes Eckius b) haud minus inter utrosqve distingvere dubitat. Du Pin c) jura patriarcharum adeo angustis circumscri-

a) vid Marca differt. de primatibus n. XXIV. Opp. Francofurti 1708. fol.

b) de primatu Petri Lib. III. cap. 40. cfr. v. Espen J. eccles. T. I. p. 69. ed. Colon. 1748. fol.

c) Eccles. disciplin. diss. I.

bit limitibus, ut primatum qvoqve cedere videantur. Conſtat qvidem primates provinciarum antiqvisſimis temporibus ab iis, qvi hodie metropolitani dicuntur d), diverſos non fuiſſe, qvod in eccleſia Africana imprimis exſtitiſſe invenimus. At ab eo inde tempore, qvo nova, dicta Iſidori Hiſpalenſis, prodiit decretalium collectio, ſeculo ſcilicet VIII, primates dici coeperunt, non ſinguli metropolitani, qvemadmodum apud veteres in uſu fuiſſe ſupra docuimus, illi vero tantummodo epiſcopi, qvi plures provincias earumqve metropolitanos adminiſtratione ſua complectebantur e). Epiſcopos vero tali dignitate ornatos veteres haud raro primates dioeceſeos, εξαρχοντας διοικησεως dixiſſe, iisdemqve nomen, qvin jura patriarchæ tribuiſſe, firmisſimis nititur documentis f). Licet igitur opinionem Spanhemii g) haud amplector, qvi nomen patriarchale utrisqve commune fuiſſe autumat, dignitatem tamen & jura eadem cenſenda eſſe judico, atqve huic meo judicio conſentiunt ipſa Innocentii III verba in litteris, qvibus Baſilium epiſcopum Trinovitanum primatis dignitate ornaret: "apud nos, inqvit, hæc duo nomina Primas & patriarcha pene penitus idem ſonant, cum

d) vid. van. Eſpen Jus eccleſiaſt. Tom. I. p. 111. Marca l. c. n. III. ſeqv.

e) Marca l. c. n. IX.

f) id. l. c. num. XIX.

g) Hiſtor. chriſt. Secul. VI. c. 6. cfr. Rothe om Hierarkiet 1 D. p. 175.

patriarchæ & primates unam formam teneant, licet eorum nomina sunt diversa" h). Si ergo ex jure canonico, qvænam prærogativa sibi proprie habuerint primates, comperire velimus, sub titulo patriarchæ eadem qværere jubemur i).

2. *Jura primatum.*

Qvi igitur jura patriarcharum, vel ut idem sonat primatum sibi explananda sumserunt (k): in his fere ponunt:

1. Qvemadmodum suæ dioeceseos episcopos inaugurare archiepiscoporum erat munus honorificum, ita qvoqve erat primatis qvoscunqve suæ provinciæ archiepiscopos isto nobili induere pallio, qvod solum debitum honorem ipsis conciliare poterat, sive ante qvod acceptum, illi electorum nomine tantum insigniti nulli muneris sui administrationi sese ingerere audebant. Tanti hoc jus habebatur, ut si archielectorum qvisqvam pallio a primate suo ornari neglexisset, gravissimæ hinc nascerentur rixæ.

h) "vid. Gesta Innocent. III. p. 35 & 36 in Baluzii collect. epistolar. ejusd. pontificis. Parisiis 1682. II. fol.

i) ceterum si qvis originem vocis primatis, ejusdemqve per varia secula vicissitudines discere capiat, accedat eruditissimam de primatibus dissertationem, autore Petro di Marca.

k) Lancelot. in institut. jur. canon. van Espen l. c. Boehmer in jurisprud. eccles. & plures.

2. Poteſtate gaudebat primas concilia ex tota ſibi ſubjecta dioeceſi convocandi celebrandiqve, hiſce vero, convocatione a primate facta, adeſſe omnium non epiſcoporum modo verum etiam metropolitanorum erat. Metropolitanos, qvin epiſcopos ſeſe huic officio interdum ſubtraxiſſe, haud qvidem caret exemplo; at qvis talia miretur, qvi recordatus fuerit, ne potificibus qvidem ipſis hac in re morem ſemper geſtum fuiſſe.

3. Archiepiſcoporum, qvo ſuper epiſcopos eminebant, præcipuum erat decus, ut inter ſuffraganeos cognoſcerent, qvi tamen, ut verba ſonant juris canonici "ſi durius illi habiti & accepti fuerint ad primates aut ſedem apoſtolicam appellare poterant". Hac ratione omnes controverſiæ cauſæqve a ſuffraganeis, ſive epiſcopi fuiſſent ſive metropolitani, ad primatem deferri fas erat, cujus ſententia ſi qvis non eſſet contentus, per appellationem res ad pontificem devolvebatur.

4. Si primas ſimul ſedis apoſtolicæ eſſet Legatus l) ipſius erat officii non modo canonum omniumqve

l) Legatorum, inqvit van Eſpen, tria numerantur genera: *a latere*, ad qvos pertinent ſoli cardinales, *miſſi* & *nati*. Legatus *natus* ex canoniſtis dicitur is, qvi dignitati ſuæ eccleſiaſticæ officium & munus apoſtolici legati annexum habet, & qvidem ideo, qvod per ipſam dignitatis adoptionem, ſine nova illæ ſedis apoſtolicæ vel pontificis commisſione, legatus apoſtolicus conſtituitur, ſive naſcitur. Hi *miſſis* usqve ad tempora Alexandri II præeminebant;

ecclesiarum curam gerere, verum etiam illo dissentiente nec clerici inferiores nec episcopi sacris initiari licebat. Translationem vero episcoporum ut ab officio motionem sui juris voluerunt esse pontifices, m).

5. Primates deniqve etiam in hoc metropolitanis præstabant, qvod ipsis crucem duplici transverso ligno decoram ubiqve vel extra provinciam præ se ferre licebat, excepta Roma, atqve præsente legato, nisi legati apostolici munere ipse primas ornatus fuisset n).

3. *Primatum insignia.*

Ad illam, qva excellebant primates, dignitatem significandam duplici utebantur insigni, *cruce & pallio.* Cui innotuerit, qvanto olim ardore Christiani, post delubra idolorum eversa, crucis signum, ceu devictæ impietatis vexillum, in omnibus affectarent, facile animadvertet qva ratione hoc religionis tropæum per varias vicissitudines sensim sensimqve ad

post hoc tempus vero inferiori fuerunt dignitate. — In exercitio qvodam academico Aboensi *"de decimis"* p. 40. dicitur: Archiepiscopos stylo curiæ Romanæ appellari legatos natos, ceteros vero, qvibus varia in ecclesiis extraneis agenda committebantur, non natos vel a Latere. Hoc vero minus recte.

m) Nettelbladt in diss. de episcop regni Svion. romano-cathol. p. 71. cfr. Litter. Alexandri III ap. Örnhielm. hist. eccles. Lib. IV. p. 535.

n) van Espen l. c. p. 126. Örnhielm l. c. p. 518.

honores designandos declinaverit; qvod vero principibus proceribusqve qvondam commune fuerat insigne, sibi deniqve solis arrogabant cleri principes o). Ut tamen ab archiepiscopis, qvi temporis progressu pariter ac patriarchæ crucem elatam præ se ferri curabant, sese secernerent primates, duplici, ut supra docuimus, transverso ligne decora cruce se insignie-bant, eamqve, ubi in publicum prodirent, ceu dignitatis signum præ se ferebant. — Alterum insigne fuit pallium. Primo solis imperatoribus pallio ornatis in publicum prodire licebat, illi vero, qvo ordinem ecclesiasticum sibi devincerent, cleri principibus eundem secum ornatum gerere permiserunt, qvem deinde pontifices rerum potiti sibi solis distribuendum arrogarunt, adeo ut qvisqve, metropolitani vel primatis dignitatem affectans, pallium certo pretio, qvamvis qvidem olim gratis concessum sit, Roma petere severa lege juberetur p). Licet qvidem crediderim, plerisqve innotescere cujusmodi fuerit hoc indumenti genus, vel hodie inter pontificios archiepiscopis adeo necessarium, brevem tamen ejusdem descriptionem ex ceremoniali Romano depromtam afferre haud pi-

o) qvi de hujus inter Christianos tantopere æstimati symboli usu accuratius edoceri cupit, copiosissimam ea de re inveniet disputationem & in Ornhielm l. c. p. 517-524. & diss. P. di Marca de primatibus, ut qvoqve in Zieglero de episcopis lib. II. c. XI. cfr. Novell. Justinian. 123 & Ducange Glossar. v. Crux.

p) cfr. Rothe om Hierarkiet II. p. 121. seqv.

gebit q). "Cura conficiendorum & conſervandorum palliorum ad ſubdiaconos apoſtolicos pertinet, qvi lana munda & alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales monaſterii S. Agnetis, vel Religioſi, qvi ſunt in illa eccleſia, offerunt qvotannis albos duos agnos ſuper altare illius eccleſiæ, in die feſtivitatis Sanctæ Agnetis, dum in miſſa ſolenni cantatur agnus Dei, qvi agni recipiuntur a duobus canonicis eccleſiæ Lateranenſis, & ab eis poſtea conſignantur Subdiaconis apoſtolicis, qvi agnos ipſos in paſcua mittunt, qvoad veniat tempus tondendi ipſos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, qvæ mixta cum alia lana alba & pariter munda reducitur in filum, ex qvo pallia hujusmodi contexuntur: latitudine trium digitorum redacta in orbem, ita ut humeros præſulum ambiant: a pectore & genibus particulam pendentem habet pallium longitudinis palmi, & in extremitatibus laneas (an forte laminas?) plumbeas tenues ad parem latitudinem in fine orbiculatas, nigro ſerico textas, inſutas, ſupra pendentes particulas, ante & poſt & ſuper humeros utrosqve. Sic confecta pallia per ſubdiaconos portant ad Baſilicam principis apoſtolorum & per Canonicos Baſilicæ ponuntur ſuper corpora Petri & Pauli apoſtolorum, ſub altari majori, ubi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde reſtituunt ſubdiaconis, qvi in honeſto loco ea conſervant." — Sanctitatem pal-

q) Lib. I. Sect. X.

liô tali modo conciliatam, ipſum nomen, qvo a pontificibus plerumqve ornatum legimus, augere videtur: dicitur nimirum "plenitudo pontificialis officii". Qvantæ vero neceſſitatis eſſet hoc inſigne ſupra commemoravi.

Certa qvoqve formula a ſede apoſtolica erat petenda r), ut qvoqve ejus uſus certis limitibus erat circumſcriptus s).

4. *Lundenſium primatum dignitas — faſtusqve.*

Hæc jura atqve inſignia, omnibus communia primatibus, Lundenſium qvoqve, de qvibus nobis agendum eſt, effecere dignitatem.

Sueciæ t) dicebantur primates u), ſedisqve apoſtolicæ legati. In qvovis diplomate, regum inſtar,

r) Boehmer jurisprudent. eccleſiaſt. Libr. I. T. III. §. 9.

s) Ducange l. c. v. pallium.

t) Qvod nonnulli archiepiſcoporum Lundenſium ſeſe qvoqve Daciæ primates appellaverint, rei haudqvaqvam congruum fuiſſe, jam pridem monuit Lagerbring; ſiqvidem primas Lundenſis, ſolus Daniæ Archiepiſcopus, non ſimul Daniæ primas eſſe poſſet. cfr. Lagerbring. Suearikes Hiſtoria T. II. p. 139. neqve multos præter Eſkillum hoc nomen geſſiſſe reperies.

u) Lundenſium Archiepiſcoporum faſtum eo usqve temporis ſucceſſu creviſſe, ut non primates modo Sueciæ verum etiam ejusdem terræ principes ſeſe compellari voluerint, multis dubiis obnoxium eſſe videtur; cujus arrogantiæ ubi a Suecis nonnullis ſcriptoribus v. c. Meſſen. Scond. illuſtr. T. II. p. 4. Wilksmann diſſert. de Hierarchia pontificia p. 48. aliisqve incuſantur, ex prava interpretatione vo-

dignitatem ſuam, titulis adjecto: "Dei gratia, ſeu divina commiſeratione" teſtatam fecerunt x).

Eorum fuit archiepiſcopos Upſalenſes pallio Roma nunciis petito induere, eosqve, obedientiæ ſedi apoſtolicæ nec non Sueciæ primati præſtandæ juramento prius accepto, muneri conſecrare. — Omnes ex omnibus tam Sueciæ, qvam Daniæ provinciis epiſcopos, qvin ipſum Upſalenſem Archiepiſcopum ad concilium celebrandum convocandi poteſtate gaudebant, eosqve, ſi venire detrectaſſent, inobedientiæ apud curiam Romanam accuſabant y); ad eos deferebantur cauſæ, qvibus cognoſcendis opus erat arbitrium ſolito majus. Brevi omnibus, qvæ primates ſedisqve apoſtolicæ legati uſurpabant jura, perfruebantur z). Cum Archiepiſcopis vulgaribus commune

cis Suecis vernaculæ "Förſtar", qva ex imitatione vocis Latinæ primates, haud vero principes, ſeſe compellarunt, rem ortam eſſe judico.

x) Ab ætate inde Caroli magni per occidentem hoc inter principes obtinuiſſe, conſtat. cfr. Lagerbring diſſ. de epiſc. princ. p. 15.

y) Clerum Sueciæ ſeſe mature huic officio ſubtrahere voluiſſe ex epiſtolis Wilhelmi Abbatis, Eſkilli nomine ad pontificem ſcriptis ſatis cognoſcitur. vid. Diplomatar. No. 1. Qvis vero hoc miretur, qvi cogitaverit hoc contra ipſum pontificem auſos fuiſſe eosdem Lundenſes archiepiſcopos, qvi heic de contemtu ſui qverebantur.

z) Iſtis de juribus, tam ſingulis qvam univerſis, licet concertatum fuerit, nil tamen impedit, qvo minus Lundenſes Archiepiſcopos, qva primates, iisdem uſos fuiſſe ſtatuamus.

qvidem habebant pallium a), at duplici cruce antelata ceteris eminentiores processerunt b), eademqve non minus in proeliis qvam sacris faciendis erant conspicui c).

a) Olim hoc Lundensibus gratis donatum est, opera maxime, ut judico, industriaqve Canuti Magni, qui Romam adiens hoc effecerat, ut nullus suorum archiepiscoporum pallium solveret. vid. Wilhelm. Malmesb. Libr. II. c. 2. Pontifices vero, hac in re minus religiosi, archiepiscopis insigne pretio vendere deinceps non dubitarunt. Ab Ao. inde 1276 cuivis Lundensi archiepiscopo hoc pecunia solvere imperatum est, unde qvavis vice 4000 aureorum Rhenorum in fiscum apostolicum redibant, qvod tamen pretium ab Ao. inde 1418 ad dimidium redactum esse perhibent pleriqve rerum Danicarum scriptores; illud vero ex prava litterarum Martini V interpretatione ortum fuisse existimat Lagerbring. Suearikes Hist. II. p. 243. nec immerito me judice; hisce enim in litteris non de pallio, sed de annatibus sedi apostolicæ eo pro tempore, qvo ecclesia vacaverat, solvendis sermo esse videtur. Ako Sparre inter ultimos referendus Qvasi-archiepiscopos Lundenses, haud cameræ apostolicæ, qvæ 6000 ducatorum poposcerat, vid. Pontoppid. Annal. II. p. 401. at regi Frederico I 3000 florenor. aureor. solvit. & Thorbernus Bilde hunc secutus jussu regis ejusdem insigne suum 2000 floren. aureor. pretio emit. vid. Rhyzel. episcoposcopia P. II. p. 30.

b) Qvod de duplici Stephano Upsalensi archiepiscopo prælata cruce narrat Spegelius in chron. episc. p. 84. omnino falsum est. Vid. Lagerbring diss. de episc. eorumqve insignibus p. 12.

c) Absalonem, in bello contra agrestes in Scania rebellantes, crucem sibi proferri jussisse autor est Saxo Libr. XV. p. 365.

Qvanto longius a ſede Romana remoti eſſent Lundenſes epiſcopi, tanto qvoqve magis, qva excellebant, dignitas conſpiciebatur. Nihil igitur, qvo ſummum in eccleſia ſeptentrionali inqve ipſo imperio ſecundum poſt reges locum capeſſerent, præter nomen eximiaqve illa jura iis deeſſe videbatur; at vana ambitione haud raro abrepti, nec dignitate, qvam jam jure tenebant contenti, ſenſim ſenſimqve majora concupiſcere coeperunt, nec modo vulgum & qvotqvot ordinis eccleſiaſtici non eſſent, ſubjicere ſibi affectabant, verum ipſos regere reges nullaqve non jura ſibi arripere ſucceſſu temporis geſtiebant. Qvanto omnibus legibus ſeſe ſuperiores putaverint, documento ſit non modo concilium Helſinburgenſe Ao. 1345 celebratum, qvo totius Daniæ clero convocato decretum eſt "laicis ſuper eccleſiis & eccleſiaſticis nullam eſſe attributam facultatem, ſed potius manere neceſſitatem obſeqvendi" d). verum etiam impudentia, qva jus Scaniæ eccleſiaſticum pro arbitrio mutare, notisſimumqve illud concilium Veile celebrandum convocare e) rege inconſulto, auſus ſit Jacobus Erlandi. Hujus vero magnitudinis, cujus de faſtigio ſuper reges ipſos eminere videbantur, iisqve non raro metum injecerunt legesve dictitaverunt, fundamentum haud dubie a ſancto Canuto pia manu jactum reperies. "Is enim primum, ut ait Saxo f), cum

d) Lagerbring diſſ. de concil. Helſingburg. p. 4.

e) Huitfeld. I. p. 244.

f) Lib. XI. p. 214.

ab inerti & rudi populo parum justam pontificibus venerationem haberi conspiceret, ne tanti nominis potitores inter privatos relinqveret, decreti circumspectioris industria, principum eis consortionem indulsit, ipsisqve primum inter proceres locum, perinde ac ducibus assignavit, auctoritatem honore concilians". Ab hujus inde tempore jam coeperunt a publico foro secerni. Qvid vero hac in re ad potestatem jam acceptam qvavis ratione augendam egerint pontifices hierarchiæ promtissimi stabilitores, ex historia Gregorii VII, Innocentii III g) & Bonifacii VIII satis luculenter apparet. Hinc qvoqve Jacobo Erlandi tantum animi accessit, ut regem illum satis afflictum Christophorum I vexare lætaretur h), cujus

g) Si qvis post illa dictata, qvæ vulgo Gregorio VII adscribuntur, sint genuinæ necne perinde est, cfr. Rothe om Hierarkiet I. p. 487. seqv. insulsi aliqvid ingenium pontificiale spirans legere cupiat, is modo accipiat, qvæ olim dixerit Innocentius III: "fecit Deus duo magna luminaria in firmamento coeli, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, utrumqve magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur coeli h. c. universalis ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est duos instituit dignitates, qvæ sunt pontificialis auctoritas & regalis potestas, sed illa, qvæ præest diebus, id est spiritualibus, major est, qvæ vero carnalibus, minor, ut, qvanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur". cfr. Lagerbring diss. de conc. Helsingb. p. 21.

h) lites coram tribunali pontificiali actas vide in Langebeckii Scriptor. rerum Danic. Tom. VII.

vestigia vel plures eum secuti archiepiscopi premere haud neglexerunt. — A regis qvoqve consensu olim pendebat archiepiscoporum delectus, autoritate vero regum labefactata, ipsi qvoqve hac in re neglecti sunt, atqve solius pontificis arbitrio res deferebatur. Rege inconsulto castella muniebant ex qvibus sibi reditus fecerunt, regiisqve edictis abrogatis novas condiderunt leges, omniaqve subinde, commodis suis qvavis ratione contraria, evertere conati sunt, talia conciliorum statutis jurive canonico non convenire callide prætexentes i). Qvin nummos cudisse archiepiscopos Lundenses vel anteqvam ad primatum evecti essent ex Adzero cognoscitur k): qvemlibet qvoqve nobilitate ornare, eadem qva reges potestate usos, sibi asseruisse exemplo haud caret l). Maximum iis fuisse ministerialium numerum, qvamvis ea de re certa nobis desunt monumenta, ex consectariis tamen vero simillimis elicere fas est. In antiqvo enim cartaceo bibliothecæ Lincopensis, officialium, qvi in aula episcopi Lincopensis merebant, numerus recensetur certe haud exiguus, qvippe qvorum diversa munera qvinqvaginta efficiebant m). Si jam

i) Pontoppid. annal. eccles. dan. T. I. p. 499. seqv.

k) Lagerbring Suear. Hist. II. p. 66. Hoc jus qvoqve episcoporum fuisse Sec. XII vult Bircherodius in specimine antiqu. rei monet. Dan.

l) Ejusmodi chartarum qvæ nobis antiqvissima restat, in bibliotheca celeb. A. Kall. p. t. Rectoris Universit. Havniens. reservatur.

m) cfr. Lagerbring. Diss. de episcop. princ. p. 36. seqv.

cogitaveris, qvanto primate Sueciæ inferior esset episcopus Lincopensis, numero certe obstupesces. — Minus e contrario, si de copiosissimo, qvo stipati processerunt archiepiscopi Lundenses, satellitio legamus, nobis mirum debet videri. Birgerus Gunnari nunqvam nisi 130 militum cohorte comitatus iter fecit n). At tale qvid ex temporum ratione necessarium judicandum est. Cum enim mores essent deperditi, rapinis undiqve grassantibus, non modo inter proceres invicem, verum etiam ab his in qvoscunqve ordinis ecclesiastici homines summa violentia exercebatur; qvocirca etiam dioecesis Lundensis a Gregorio XI contra hos violatores commeatum (Beskyttelsesbrev) petere coacta est o); nec tamen absonum videtur Birgerum ex hocce tam splendido satellitio gloriolam captare voluisse. Lundenses enim archiepiscopos jam antiqvitus inde splendorem ostentasse ex testimonio Petri Cellulensis, opulentiam Eskilli in itinere, qvod Ao. 1152 ad Bernhardum instituit, describentis satis luculenter apparet. "Vidi, inqvit, illum super nubes ambulantem, & usqve in densissimam altitudinem evolantem; qvis gloriam illam, qvis potestatem, qvis dominationem, qvis rerum omnium opulentiam, qvis erogationes tam largas, tam innu-

n) Huitfeld. II. p. 1141.

o) id. ad annum 1378 in chron. episc. p. 79. Instrumentum istud vulgo dictum est: "Conservatorium Cleri Lundensis". cfr. Magnus Matthiæ p. 161.

meras enarrare sufficiat?" p) — Hæc vero sint documento ad qvantum usqve fastigium cum dignitate evectus sit Lundensium fastus.

5. *Lundensium primatum reditus.*

Ut pro dignitate viverent archiepiscopi Lundenses, jam a primis inde temporibus provide consultum erat. Idem ille, qvi clerum honoratiori loco collocari curaverat Canutus, neqve ejusdem commoda pie prospicere temere neglexit. Multa jam Lundensi episcopo assignaverat in Scania, Selandia atqve Fionia prædia possessionesqve, eumqve regii numismatis pluriumqve redituum, qvarta parte dotaverat q), qvo munificentia non inferior frater Ericus Eyegod pari liberalitate capitulum Lundense auxerat; Sueno, Grathe dictus, in donando haud ceteris parcior, istas opes nova benevolentia accummulavit r). Jam ex clero ditando sibi gloriam qvæsivere reges, & qvot exinde bonis ornati fuerint ecclesiæ Lundensis præsules, indicant annales s). — Crevit adeo illorum numerus, ut cum bona archiepiscopalia sedis Lundensis, per reformationem fisco regio vindicata, re-

p) Maurique annal. Cisterciens. Tom. III. p. 50.

q) Saxo Lib. XII. p. 215.

r) Pontopp. annal. I. p. 243.

s) vid. Lib. datic. eccles. Lund. insertus & Lagerbringii monument. Scanens. & Langebeckii script. rer. Dan. cfr. Kiliani Stobæi fast. necrologic. in monument Scan.

censeat Huitfeldius t), catalogus justo longior efficiatur. Horum redituum, ita ut ad hodiernos nummos referantur, æqvum facere calculum, haud leve est negotium. Litteris ad Jacobum Erlandum missis eidem objicit Urbanus IV pontifex, qvod bona ecclesiæ, ex qvibus qvotannis 6000 marcæ Sterling antea redibant, propter ipsius pravam oeconomiam nunc longe minores præstarent fructus u); unde Pontoppidanus, ad rationem hodiernæ monetæ pecuniam revocans, illam tres circiter tonnas auri confecisse autumat x). Lagerbringius vero, differentiæ inter marcas Sterling atqve marcas puri argenti ratione habita, num tanti æstimanda sit dubitat y), censetqve annuos reditus 8000 floren. aureor. potius effecisse z). Uter rectius statuerit hoc qvidem loco parum interest, si modo conspiciatur archiepiscopis Lundensibus, tantam, qva eminebant, dignitatem tuendi copiam non defuisse, qvin istas qvoqve, regiis fere æqviparandas opes, audaciæ qva ipsos reges interdum aggressi sunt, occasionem maxime opportunam præbuisse.

Ex hactenus dictis, qvænam jurium dignitatisqve primatum Lundensium fuerit ratio, satis, ut

t) II. p. 1480.
u) id. I. p. 267.
x) annal. I. p. 500.
y) diss. de episcop. eorumqve insignib. p. 9.
z) diss. de episcop. princip. p. 26.

opinor, luculenter apparebit, præcipuisqve, qvæ ad lucem argumento affundendam necessaria visa sunt, ita exhibitis, ad propositum veniemus.

Cap. II.

Initia ecclesiæ Lundensis — fata usqve ad primatum institutum — primatus ortus.

6. *Religio christiana in Scania propagata.*

Rationem, qva primo Scaniæ affulserit lux religionis christianæ, constituere haud ita facile, historiæ qvippe face destituti per incertas tenebras incedimus; conjectantibus tamen aut a parte Sueciæ orientali, cujus incolas religionem ceteris priores admisisse constat, aut ab occidentali Daniæ parte, sive Cimbria sic dicta, vel terris Germaniæ vicinis illata isthuc videtur.

Tempus vero, qvo Scandinaviæ in universum qvoad religionem sese mutaverit facies, definire haud itidem difficile. Octo jam erant post Christum natum secula elapsa, cum prima tenebras dispellendi heic pericula facta sint. Raros qvidem antea inter Hyperboreos habuerat disciplina Christiana cultores, at nondum, qvippe neqve legibus sancitæ, neqve pu-

blica inſtitutione ſuffultæ, multos ſibi comparare amicos eidem contigerat, altasve agere radices. Circa vero ſeculum nonum faciliorem in orbem noſtrum aditum ei aperuit confinium Germaniæ, ex qva jam olim tot ſibi merita qvæſiverat Bonifacius a). Qvod enim ille Germaniæ, vel potius Saxoniæ exſtitit, Scandinaviæ majori pro parte poſthinc factus eſt Anſcharius b), qvi Haraldum Cimbriæ regulum Ingelheimii coram imperatore Ludovico Ao. 826 Chriſtianum ſe profitentem comitatus religionis in occidentali Daniæ parte propagandæ prima ſemina jecit, qvæ ſi vel poſtea, imprimis Gormone graſſante, minus læte prodirent, haud tamen plane ſuffocata fuere. Gormo enim tandem devictus, a cruore & cæde deſtitit, atqve auſpiciis, maxime Unnonis, Hamburgenſium præſulis, religio Chriſtiana incrementa iterum cepit.

Qva cura Cimbriam inſtituerat Anſcharius, eadem Sveciæ, qvo vocatus erat, conſulere coepit, nec coepto defuit eventus, qvippe accepta eſt religio, adamata, propagata, atqve tam proſpero, imprimis operam dante Heringario, prætore Bircenſi, uſa eſt ſucceſſu, ut poſt duos, vel ut volunt nonnulli c),

a) De meritis Bonifacii vid. Z. F. Chr. Schmidt Beyträge zur Kirchengeſchichte des Mittelalters.

b) Hüllmann Handbuch der Geſchichte von Schweden I pag. 235, vult Arnsgarium eſſe dicendum.

c) Celſii Kyrckohiſtor. p. 267.

aliqvot annos Sigtunæ Christo sacra ædes exstrueretur d). Hunc vero in hac Sveciæ parte lætum religionis progressum mox novæ exceperunt turbæ, qvibus sedandis non minus promtus Anscharius ille, iterumqve redux res collapsas restauravit e).

Postea per doctores ex gente danica potissimum oriundos ecclesia Suecana administrata est, atqve, si vel non semper, a successoribus qvippe Biörnonis & Olavi minus procurata, lætioribus uteretur fatis, nunqvam tamen evanuit, & præsertim, rege Erico, victorioso dicto, sacris initiato, revivifcere coepit, qvin immo floruit viguitqve, frremente qvidem armisqve obstrepente magna gentis parte, postqvam Olaum Skautkonnung sacro fonte tinxerat Anglus ille Sigfridus, religionis post Anscharium restaurator propagatorqve.

Qvemadmodum in imperio Danico pars Cimbriæ meridionalis, ita in Svetico Westro-Gothia prima in Scandinavico orbe religionis Christianæ fuit incunabula; inde enim, velut a sole refulgentes radii, ceteras illustravit provincias. Jam si qværamus, utra Scaniæ instituendæ fuerit auxiliatrix? Cimbria christiana an Westrogothia? — incertum judico. Cur Selandiam haud dixerim, qvis qværat? — Selandia

d) Hujus ædis rudera vel hodie conspiciuntur in insula qvadam lacus Mælaris. Langebeck. script. rer. Dan. I. p. 448.

e) Vita Anscharii autore Remberto, in Lindenbrog. scriptor. rer. Germanicar. septentrional.

vero novis doctrinas diu fuit inimica, dubiiqve animi se præbuerunt Haraldus Gormonis & Sveno Barba furcata.

Ille qvidem Ottone Germaniæ Imperatore sic jubente christianismo se addixerat, miracula Poponis pie intuitus; hic vero recenti disciplinæ semper infestus, episcopatus qvidem constituerat ædesqve sacras exstruxerat, utriusqve tamen de re christiana merita exigua fuere, posterioris præsertim, qvi in Anglia religionis sectatores gravissime vexando cruentissima sui reliqvit vestigia, qvin potius in religione domo non infestanda acqvievisse videntur.

Qvalis vero in Selandia, ubi sedes fixerant omnes isti reges, status religionis fuerit, facili negotio cognoscitur, inprimis cum constet plerosqve, qvi religionem adornaturi Sveciam adiissent, ad tempora fere Erici victoriosi usqve, daniæ aliqvamdiu imperantis, per mare ivisse f), ne nempe a Danis orientalibus atqve nominatim Selandiæ incolis religionis causa vexarentur. Hinc adeo liqvet vix a Selandia prima religionis lumina in Scaniam penetrasse.

f) Ex odio, qvo in religionem christianam præcipue ferebantur reges, hic gentis animus maxime deducendus est; alias enim, si subitas qvasdam turbas exceperis, sese novis doctrinis æqvissimos præbuisse scandinavici orbis incolas, multa sunt, qvæ probent. cfr. Suhm: Hvorfor den Christne Lære fortrængte Odins? Skandinavisk Museum I pag. 56.

Vero tamen ſimile videtur ab oris Cimbriæ per mare Balthicum, vel per ſinum Codani, in Sveciam trajeciſſe primos religionis Chriſtianæ doctores, ibidemqve diutius commoratos prima ejusdem ſemina diſperſiſſe — niſi potius admittere velimus, primam in religione inſtitutionem a Svecia orientali, utpote propiori, atqve chriſtianismo jam addicta, profectam huc penetraſſe. Utram conjecturarum malueris, perinde eſt, ſiqvidem ex annalibus nil certi eliciatur, poſterior tamen mihi probabilior viſa fuit, & ipſius rei naturæ apte conveniens.

7. *Doctores Scaniæ.*

Qvando illa qvaliscunqve inſtitutio in Scania inceperit, æqve incertum eſt; attamen conſtat, hancce provinciam Svecia orientali poſteriorem Chriſto nomen dediſſe, nec a vero abhorrere videtur, illam propter vicinam lucem cumqve vicinis Chriſtianis commercium haud ita multo poſt rudimentis novæ diſciplinæ imbutum fuiſſe.

Anſcharium ipſum atqve Rembertum, Scaniam permeantes, primos animos moviſſe haud probabilitate caret; nullius tamen, ante Othincarum ſeniorem, qvem in Scania firca ſinem ſeculi IX prædicaſſe, & multos rei chriſtianæ amicos conciliaſſe, prodidit Adamus g), in annalibus mentio occurrit. A Liben-

g) Hiſtor. eccleſiaſt. libr. II. cap. 26.

tio h), qvi ab Anno inde 938 ad 963 usqve Bremis archiepiſcopalem gradum tenuit, episcopum Scaniæ conſtitutum fuiſſe Godebaldum qvendam Anglia oriundum, prodidit qvidem Rhyzelius, at omni ratione deſtitutus i), minimeqve ei fides habenda, cum in hiſtoria incerti cujusdam autoris archiepiſcoporum Bremenſium k) ne verbo qvidem hujus rei fiat mentio, præterеaqve, nullum, ante duos epiſcopatus in Scania a Svenone Eſtrithæ conſtitutos, dignitate epiſcopali ibidem ornatum fuiſſe expresſis verbis autor eſt Adamus l), exceptis, qvi ab aliis partibus venientes interdum illam procurarent provinciam. Scaniam vero, ineunte ſeculo XI, ſacra chriſtiana amplexam fuiſſe omni dubio vacat, cum enim Anno 1011 ædes illas magnificas Sto Laurentio dicatas Sveno Lundiæ exſtrui curaſſet, atqve anno ſeqventi epiſcopatum, cui Selandia, Fionia Scaniaqve ſubjicerentur, Roſkildæ conſtituiſſet, Gerbrando, epiſcopo Roſkildenſi recens facto, Scania commiſſa eſt m). Hic jam ſub fine ſeculi X in Scania religionem prædicaſſe

h) Hiſtoria archiepiſc. Bremenſ. in Lindenbrog. ſcript. rerum ſeptentr. p. 74.

i) Epiſcopoſcopia Suiogothica II. p. 4. Hoc ipſo loco idem autor refert merita hujus Godebaldi de re Chriſtiana tam eximia fuiſſe, ut ejus anniverſaria, una cum Bernhardi, qvem poſtero sempore ſecum ex Anglia duxerat Canutus Magnus celebrarentur XII Cal, Sept.

k) l. c. p. 74. ſeqv.

l) de ſitu Daniæ. c. 215.

m) Pontopp. Annal. I, p. 168, ſeqv.

dicitur n), & illius ſub auſpiciis incrementa tam læta videtur cœpiſſe, ut dimidio circiter ſeculo poſt mortem o) ejus peracto, intra ſuos fines eccleſias trecentas Scania contineret p).

Ejus curam poſtea ſuſcepit Avoco, Gerbrandi in epiſcopatu Roſkildenſi ſucceſſor, cujus vero ſi mores legamus q), de ratione qva procurata fuerit eccleſia haud multa proſpera ſperare jubemur, eoqve magis dolendum fuit, helluonem iſtum cujus fidei res tam gravis momenti demandata fuerat juſto longius vixiſſe.

Primo enim Ao. 1043, poſtqvam rerum Dania potitus eſſet Sveno Eſtrithæ potu ſuffocatum eſſe invenimus.

8. *Epiſcopi Lundenſes.*

Ab Anſcharii inde tempore, qvi, archiepiſcopatu a Ludovico II Hamburgi inſtituto r), primus pallio & diplomate ornatus eſt, Bremenſibus metropolitanis commiſſa fuit eccleſiarum ſeptentrionalium s)

n) ibid. p. 130.

o) occidit Ao. 1030.

p) Ad. Bremenſ. de ſitu Daniæ c. 214.

q) ibid. 215.

r) Qvonam anno, incertum eſſe ducunt nonnulli. Botin vero, Svenſka Folkets Hiſtoria I. p. 267. & Langebeck in chronolog. Anſchar. annum ponunt 831. Poſt annos 14, Hamburgo a Normannis everſo, Bremas ſedes translata eſt.

s) Diplomata & pontificis & imperatoris, vid. Lindenbrog ſcript. rer. ſeptentr. p. 125. ſeqv.

cura. Eorum vero pleriqve dignitate contenti rem ſuæ fidei demandatam neglexiſſe videntur, niſi qvatenus in novo qvodam doctore muneri initiando jura ipſis conceſſa exercendi opportunitatem eſſent aucupati. De bono malove rerum ſtatu minime qværebant. At longe majores, ubi ſeſe neglectos putarent t), clamores ciebant, qvam ubi doctores ab ipſis conſecrati, officiorum obliti, ſordidisſimis ſeſe emanciparent vitiis.

Minime ergo læti eccleſiæ Scanenſi ſucceſſus ſperari poterant, dum curæ exterorum u) tradita per homines ſæpius foedisſimos qvalis v. c. fuerit Avoco, adminiſtraretur. — Haud ergo immerito, ut doctores ipſi proprii conſtituerentur, neceſſarium viſum eſt, niſi priſtinis iterum obrueretur tenebris.

Poſt Avoconem, ſumma ignominia provinciam adminiſtrantem, perqve annos tredecim ventri gulæqve indulgentem, Selandiæ Epiſcopus ſuffectus eſt Wilhelmus, vir ſtrenuus, &, niſi forte nimius fuiſſet hierarcha, inter primos haud dubie ponendus. Omnibus in ejus laude conſentientibus, nullus dubitandi

t) Exemplum præbet Unvanus, qvi adeo exacerbatus fuit, qvod Canutus Magnus Gerbrandum ab Aelnotho Cantuarienſi conſecratum huc ſecum duxiſſet, ut hunc aliqvamdiu cuſtodia teneret, nec prius inde dimitteret, qvam obedientiam ipſi promiſerat. vid. Pontoppid. l. c.

u) Exteros dico epiſcopos Roſkildenſes, qvatenus ipſis non fuerit poteſtas ſæpe vel diu in Scania commorandi; eccleſia vero tali modo ſibi relicta videatur.

locus relinqvitur, qvin provinciæ ſibi datæ, etiam in Scania adminiſtranda, qvatenus nempe abſenti licuiſſet, religioſe ſatisfecerit. Plures jam in Dania conſtituti erant epiſcopatus, ſuus vero Scaniæ defuit præſul. Svenoni Eſtrithæ ſub initio imperii multis turbis impedito nulla hujus rei medendi fuit opportunitas.

Pace vero ubiqve conciliata, rem animo volvit, atqve provinciæ transmarinæ ita providit, ut duos ibidem conſtitueret epiſcopatus, qvorum alteri Hallandia & pars Scaniæ orientalis, alteri vero occidentalis atqve Blekingia ſubjicerentur. Illi Lundæ, huic vero Dalby ſedes aſſignabatur x).

Rebus ſic conſtitutis, atqve patrocinio Alexandri II Ao. 1065 firmatis, primus ordinatur Lundenſis epiſcopus Henricus, Dalbyenſis Eginus y). Auſpicia vero, ſub qvibus inchoavit eccleſia Lundenſis, haud utiqve fauſta fuere. Avoconis iſtius ſimillimus multibibus Henricus, Canuti qvondam in Anglia ſacellarius, epiſcopatum Orcadenſem cum Lundenſi commutaverat, magnasqve, a Canuto acceptas, vel etiam furto amotas z), divitias ſecum ferens, Lundam

x) Saxo Lib. XI. p. 205.

y) Ordine qvidem inverſo hos habent, Saxonem prave interpretati, haud pauci ſcriptores; eosdem vero errare, præter teſtimonium Ad. Bremenſ. de ſitu Daniæ c. 215, documento ſit diſſert. Kihlgrenii de nummis & ſigillis Lundenſibus. p. 50. cfr. Sommelius de initiis archiepiſc. Lund. p. 7.

z) Lagerbring Svear. Hiſt. II. p. 51.

accesserat. Qvanta socordia ecclesiam administraverit refert Adamus a), nec diu igitur provinciæ videtur præfuisse, qvippe cujus loco, postqvam ob pravissimam immoderatamqve bibendi cupiditatem præmatura morte interventus erat b), Scanensis alter episcopus Eginus sufficitur, cujus sub tutela melior lætiorqve incipit ecclesiæ Lundensis status. Illius in laudibus omnes uno ore consentiunt scriptores. Vir fuit, ut Vastovii utar verbis c) prudens, honestus, litteris apprime instructus castitateqve insignis. Qvod alter neglexerat, hic strenue peregit, omnemqve adhibuit solicitam curam, ut religioni qvam plurimos admoveret sectatores. Ipse Blekingiam Boringholmiamqve peragratus est, & ab omni cupiditate alienus homines sibi reiqve christianæ devinxit.

Tali sub regimine ecclesiæ bene fuisse, qvis miretur? Late jam patebat provincia Egino demandata, nam Henrico mortuo, Svenoni placuit episcopatui Dalbyensi, cujus præsulem jam antea Eginum constituerat, Lundensem adjungere, qva re factum est, ut omnes, qvæ duobus olim subjectæ fuerant episcopis, nunc in unum coalescerent provinciæ, ab uno præsule in posterum gubernandæ. Neqve tamen ideo Eginus videtur mox sedem Lundam transtu-

a) l. c.
b) Saxo l. c.
c) Vitis aqvilon. ed. Benzel. Upsal. 1708. 4. p. 51.

liſſe vel epiſcopum Lundenſem audiiſſe; exſtant qvippe litteræ qvædam Adelberti, ad Wilhelmum Roſkildenſem ſcriptæ, in qvibus Eginus Dalbyenſis epiſcopus adhuc appellatur d). Lundam vero ſubinde migraſſe apparet. Jam ætate gravis Romam, incertum qvo conſilio, adiiſſe, & inde redux haud multo poſt acqvieviſſe dicitur e). Succeſſorem habuit Richvaldum a Gregorio inauguratum, qvi adhuc in vivis Svenonis tertius Lundenſis epiſcopus conſtitutus eſt. De Adzero hunc excipiente verba deinde nobis ſunt facienda.

9. *Varia pericula Bremenſium excutiendi jugum.*

Exterorum imperio exoſo, non borealium terrarum tantummodo clerum, verum etiam ipſos principes metropolitanorum Bremenſium jugum excutere jam diu geſtiiſſe, multa ſunt qvæ probent. Ex toto Scandinavico orbe exempla collegit ipſe Adamus Bremenſis. Emundus, qvi, defuncto fratre Jacobo, regno Sveciæ potitus erat, Osmundum qvendam inconſulto Pontifice ſibimet e ſua gente archiepiſcopum creavit f), nec hoc contentus legatos Adelberti

d) vid. Adam. Brem. Hiſt. eccleſ. Libr. IV. c. 43.

e) Pontoppid. l. c. p. 129. vult Ao. 1085. Lagerbring contra l. c. p. 53. præfert, & qvidem jure Ao. 1072. Magnus Matthiæ mavult Ao. 1078.

f) Errat Siöborg, ubi dicit in opuſculo ſuo: "Sammendrag af Suearikes Religions Hiſtoria, Lund. 1793" p. 31, hunc Osmundum mox creatum eſſe archiepiſcopum Scarenſem,

metropolitani Bremensis una cum Adalvardo, Sueonum episcopo designato, ad se missos contumeliose rejecit g).

Eodem fere tempore Norvegiam tenebat Haraldus, Magni Boni in imperio successor, qvi qvoqve episcopos creare sui juris esse voluit, ideoqve cum per legatos inter alia de episcopis Haraldi, tam in Anglia, qvam Gallia se neglecto ordinatis, qveretur Adelbertus, jus consecrandi auctoritate sedis apostolicæ sibi soli vindicans, rex iratus respondisse fertur: nescire se qvis sit archiepiscopus aut potens in Norvegia nisi solus Haraldus h). Eodem fere tempore rex Danorum Sueno Estrithæ similiter arbitri Bremensis pertæsus jam a Leone IX expetierat, ut peculiarem sibi concederet archiepiscopum, qvod qvidem sub ipso regni initio, A. 1049 vel 1050, cum ab imperatore Henrico III evocatus pontificem ipse convenisset, factum esse autumat Wilde i). Hac vero vice successum non habuisse inceptum illius constat; cum enim in re tam gravi nil, Adelberto inconsulto, ad qvem ea res pertinere videbatur, constituere voluisset Pontifex, ille, sententiam interro-

siqvidem primum opera Stenkilli postea ibidem episcopus evasit.

g) Adam. Brem. Hist. eccles. libr. III. cap. 15.

h) Adam. Brem. l. c. cap. 19.

i) Suec. hist. pragmat. p. 328. cfr. Huitfeld I. p. 82.

gatus, talia admittere noluit, nisi ea lege, ut, qvem jam diu multo studio affectaverat, sibi addiceretur patriarchatus, cui nihilo secius borealia regna subessent. Pontifice interea defuncto neuter voto potitus est. Qvantam vero hæc res Suenoni ab Adelberto invidiam concitaverit, historia Gudæ nos docet k). Nihilominus tamen post hoc tempus simulata inter eos mansit amicitia. Sveno vero, de gradu semel dejectus, haud ideo desperavit. Benedicto X iisdem, qvibus ante Leonem aggressus fuerat, precibus supplicavit, qvi etiam ea lege sese ei morem gesturum esse pollicitus est, si futuro archiepiscopo qvinqve pararet suffraganeos l). Aucto igitur episcoporum numero pontificem Alexandrum, qvi successorem Benedicti exceperat, ut promisso sibi ab prædecessore dato satisfaceret, commovere studuit. At Adelberto contra nitente, res ad obitum usqve pontificis protracta iterum successu caruit. Demum pontificiam dignitatem accepit Gregorius VII, qvi, nil qvo gloria nitorqve regimini accederet m) inexpertum reliqvens, se in hoc negotio antecessoribus faciliorem præbere coepit. Qvanto enim plures sibi subjectos, suumqve imperium dilatantes metropolitanos haberet, tanto qvoqve facilius reges ipsos, qvibus nomen so-

k) In historia Knytlingorum hæc Gunilda vocatur. c. 4.

l) Huitfeld Chronic. episcopor. vid. Adzer.

m) cfr. Rothe om Hierarkiet I. Gregor. VII. Bowers Historie der Päbste. VI.

lum relinqvere gestiebat, in potestate habiturus. Qvo vero longius a sede regia remotus esset metropolitanus, eo qvoqve laxiores, qvibus reges ducerentur, habenas fore videbat. Gregorius sic fere opinatus, consilium Svenonis hucusqve neglectum cupide arripuit, eumqve per litteras fecit certiorem, se de sede metropolitana in regno ipsius erigenda legatos missurum esse, atqve vicissim a Svenone legatos exspectaturum, "si se suumqve regnum apostolorum principi committere vellet". En ingenium Gregorii, ambitionem satiari nesciam spirans! Haud multo post litteras similis argumenti vehementissimum pro re agitata studium præ se ferentes eidem misit, in qvibus itidem se ad gratificandum regi paratum significat, petens ut per legatos sibi indicaretur, an qvæ a prædecessore Alexandro postulaverat etiamnum rex optaret n). Tantus vero ardor repressus est. Priorem epistolam num rex legerit necne dictu erit difficile, at posteriorem certe non legisse inter omnes fere constat, utpote qvæ paucis ante diebus, qvam vita excesserat Sveno, Roma fuerit missa o).

Gregorio ad consilium Svenonis perficiendum fortasse suffecerint jam dictæ rationes; at non tacebo

n) Utramqve epistolam, alteram VIII Febr. 1074, alteram, XV Cal. Maji ej. anni habent & Baronius & Örnhielmius nec non Hardouin. Act. concil. T. VI. P. I. pag. 1299. seqv.

o) Langeb. script. rer. dan. III. p. 339. 340. 266. II. p. 284. cfr. Gebhardi II. p. 66. n. 13.

accidisse casum, qvi omnibus valentior rem sæpius agitatam accelerasse videtur. Adelberto nempe successerat Liemarus, imperatoris Henrici III Romam obsidentis comes & consiliarius. Suam vero angustiam injuriamqve, sic enim putabat, sibi illatam alta mente reponens Gregorius, qvemadmodum victoria reportata haud prius in Henricum animo potuerat placari, qvam Canossæ adorans humillime flagitium deprecatus esset, ita qvoqve jamdiu Liemard ultionem paraverat. Heic locus opportunitasqve; & nisi Sveno occidisset, Liemarum pristini decoris magna pro parte orbatum exsultabundus vidisset Gregorius.

Post obitum vero Svenonis elangvescere coeperunt animi, nec ante Ericum Ejegod regno potitum eventum habuisse videtur consilium jam toties agitatum p).

10. *Archiepiscopalis dignitas Lundensibus concessa.*

Mutata jam erat facies sedis pontificiæ. Clavos Petri tenuit Urbanus II, etiam Liemaro ob injurias qvædam infensissimus q).

Si ergo, qvæ instituerat Sueno, perficere vellet Ericus Ejegod, difficile haud fore videbatur, &

p) Errant igitur & Holbergius T. I. p. 196. & Meursius libr. IV. ubi Saxonem contradictionis incusantes, volunt dignitatem archiepiscopalem jam tempore Svenonis episcopis Lundensibus fuisse concessam.

q) Lagerbring Svearik. Hist. II. p. 64. seqv.

qvidem voluit Ericus. Qvasdam enim ſimultates, qvibus tamen qvænam revera fuerit cauſa nondum explanarunt hiſtorici r), inter hunc & Liemarum ortas eſſe comperimus.

Jamjam a ſede Bremenſi vibranti manu emitti coeperunt fulmina. Superbiam irridens, at ſimul veritus Ericus, Romam adiit coram Pontifice cauſam ipſe dicturus s); cauſa vero cognita, culpa liberatus ſuperior nec amplius minas Liemari metuens domum rediit. Favore Pontificis hac vice declarato, ad conſilium, qvod jam animo volverat, promovendum, ſimul uſum fuiſſe Ericum ipſius rei naturæ congruum videtur; at ſi vel voto annuiſſet Urbanus, haud tamen ſatis propere pro Erici ardore opus perfectum eſſe videtur, nam iterum Romam regreſſum commemorat Saxo t), qvo facto libere ſpopondit Urbanus ſe regnum ipſius archiepiſcopali dignitate adornaturum eſſe. At neqve hac vice voti compos exſtitit. Caſtigationem Liemarus morte opportuna effugerat, jamqve refrigeſcere coepit curia Romana. Paſcali pontifici, Urbanum excipienti, res magis aliena videbatur; & niſi repetitæ preces, qvin munera fortaſſe, & qvod ceteris majus, qvæ Adzero epiſcopo Lundenſi archiepiſcopo Cantuarienſi Anſelmo intercedebat amicitia, acceſſiſſet, vix nondum res in li-

r) cfr. Suhm V. p. 35. & Sommel. de init. archiep. Lund. p. 14.
s) Saxo libr. XII. p. 226.
t) l. c.

qvidum fuiſſet perducta. Adzerus nimirum, qvi a rei agitatæ primis inde initiis ſe ſuamqve ſedem archiepiſcopali dignitate, ſi modo conceſſa fuiſſet, adornatum iri haud temere ſperaverat, jamqve tot impedimentis ſpei ſuæ moram injectam eſſe viderat, Anſelmi opera in hoc negotio perficiendo uti conſtituit. Anſelmum vero Romæ omnia potuiſſe, qvis miretur? is enim fuerat cui Paſcalis & Urbanus victoriam a Rege Angliæ reportatam deberent u). Anſelmus igitur cauſam amici receptam ita apud Paſcalem egiſſe videtur, ut poſt tot tantaqve discrimina facili negotio res conficeretur x). Miſſus eſt nempe legatus Albericus Cardinalis y), qvi in Dania ſedi archiepiſcopali locum optaret, ſimulqve inſpiceret, qvinam præ ceteris ſumma dignitate dignus haberetur. Re vero examinata, Lunda viroqve ibidem ecclesiam regente nil aptius vel excellentius inveniri poſſe arbitratum eſt. — Ipſi præmium laborum referre non contigit Erico, Hieroſolymas tunc temporis profecto, niſi hoc præmii inſtar fuiſſe dixeris, qvod in itinere pontificem conveniens de voti ſucceſſu certior factus ſit. Morte, enim ut novimus, interveniente haud domum rediit z).

u) cfr. Hencke allg. Geſch. d. chriſtl. Kirche ed. 2. II. p. 129.

x) Litteræ, in qvibus de recenti dignitate familiarem gratulatur Anſelmus, exſtant in Opp. ed. Pariſ. 1721. libr. IV. ep. 90. p. 448.

y) ibid. cfr. Suhm Hiſt. Dan. V. p. 133.

z) De anno qvo eccleſia Lundenſis hoc decore ornata ſit

Ruptum jam erat promissum, qvod Anschario ejusqve in sede Bremensi successoribus dederant & Gregorius IV & Leo IV; dumqve a sede sua, jam pridem omnibus excelsiori, novam in plagis borealibus sibi antea subjectis sedem conditam torvis oculis videret Adalbero, Lundis sublimis sedit Adzerus, Sveciæ, Daniæ, Norvegiæ a) nec non Islandiæ b) ecclesias suo tenens imperio, tantaqve, jugo Bremensium excusso, nostris in terris exstitit lætitia, ut in gratam facti memoriam dies emortualis Pascalis II ab ecclesia Lundensi deinde celebratus sit c). Adalberonem vero, si Innocentio ejusve litteris d) fides

haud levi dissensione inter eruditos certatum est; licet si Anselmi supra laudatas litteras intuearis, A. 1103 in promtu esse reperies. Certamini vero ansam dedisse videtur, qvod pallio archiepiscopali haud prius decoratus sit Adzerus qvam anno seqventi 1104. cfr. Magn. Matth. ser. episcop. Lund. p. 23. Suhm V. p. 138.

a) Saxo libr. XII. p. 227.

b) Tormod. Torfæus III. p. 503.

c) Lib. Datic. & Fast. necrolog. Lund. in monument. Scan. II. p. 71 & 213.

d) Iisdem in omnibus litteris fere verbis usus regibus Daniæ Sveciæqve, Adalberoni, Adzero Sveciæqve episcopis Innocentius scripsisse fertur; qvarum aliqva ex litteris ad Adalberonem missis proferre sat erit: sic audiunt. "Sæpe utiqve venerabilis Adalbero Hammaburgensis archiepiscopus, in præsentia prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ, Calixti & Honorii ac nostra qvestus est (es), Ascerum Lundensem & alios episcopos Daciæ, tibi debitam, sicut metropolitano suo, qvemadmodum in antiqvis privilegiis Gregorii, Sergii, Leonis, Nicolai, Adriani, Ro-

habenda sit, tanta ob hoc factum, & qvis miretur? cepit invidia, ut omnibus, qvo jura episcopo Lundensi concessa irrita redderet, artibus usus videatur. Vetera jura sibi erepta se ignorare callide simulavit, atqve Adzerum pristinam obedientiam præstare recusantem tanqvam rebellem contumaciæ accusavit, sedis pontificiæ fulmina elicere cupiens. Ejusmodi qverelis jam obtuderat Calixtum Honoriumqve pontifices, qvi misericordia tanti hominis moti Adzerum ad officium qvoqve revocare voluerunt. Qvibus cum mos non gereretur, Adalbero coram Innocentio II injuriam qvestus est, apud qvem qvoqve effecit, ut litteræ pontificiales, diras, nisi reverentia præstaretur Adalberoni, poenas minatæ, episcopis Sveciæ adeoqve Adzero mitterentur, qvibus acceptis, Adzerus — ne fulmine qvidem tactus, ut antea archiepiscopus mansit. Miræ utiqve indolis istæ In-

manorum pontificum continetur, obedientiam denegare: freqventer autem & a prædictis prædecessoribus nostris Calixto & Honorio & a nobis eis mandatum est, ut aut ad tuam & Hammaburgensis ecclesiæ redirent obedientiam: aut, si qvam super hoc justam se habere confiderent rationem ad sedem apostolicam venirent ostendere parati. Ipsi vero apostolicis contemnentes obedire mandatis, nec venerunt, nec responsales miserunt. Qvia igitur nemo lucrum debet de sua contumacia obtinere, ex deliberato fratrum nostrorum episcoporum & Cardinalium consilio, tam Lundensem, qvam alios episcopos Daciæ tibi restituimus". cfr. Lindenbrog Syntagm. rer. septentr. p. 171. & seqv.

nocentii ſunt litteræ & æqve mirum ſcriptores torſerunt. Multum vero fortaſſe difficultatibus heic ſeſe offerentibus detrahatur, ſi in litteris ipſis introſpiciendis critice verſemur. Qvis enim facile crederet Calixtum vel Honorium, paucisſimos poſt Paſcalem annos e) ſedem pontificiam tenentes dignitatis archiepiſcopalis ab hoc Adzero conceſſæ f) adeo plane oblitos fuiſſe, ut Adalberonem, de contumacia Lundenſis epiſcopi qveſtum, audiiſſent, adeoqve Adzerum ad officium revocare voluiſſent? Ubinam porro terrarum exſtant iſtæ horum pontificum litteræ, qvæ Adzerum hujus contumaciæ redarguerent? aut, ſi miſſæ fuerint, qvomodo qvæſo dicto inobediens eſſe auſus eſſet Adzerus? Tum, ſi vel placita Paſcalis ignoraverit aut demum ignorare voluerit Innocentius g): cur moraretur fulmen in verticem Adzeri contumacisſimi vibrandum? cur aſſenſum qvin confirmationem haud

e) Paſcali mortuo Ao. 1118 Calixtus eligitur anno ſeqventi, & imperium tenuit ad annum usqve 1124, qvem ſecutus Honorius ab Innocentio excipitur Ao. 1130.

f) Bulla, qva Adzerum archiepiſcopum Paſcalem II confirmaſſe licet opinari, haud qvidem amplius exſtat, nec temere conjicit Langebeckius eam in templo Lundenſi olim reſervatam pluribus cum litteris violenta manu Erici Menved combuſtam fuiſſe. Initium bullæ ejusdem, qvod in ſuo chronico Lunden. epiſc. p. 3. habet Nicolaus Lundenſis ſpuriæ originis eſſe, ex tenore apparet. At manent litteræ Anſelmi.

g) Artem hanc uſurpatam fuiſſe Hierarchiæ pontificiæ plures opinantur ſcriptores. cfr. Suhm Hiſt. af Danm. V. p. 427. Sommel. de init. archiep. Lund. p. 53.

denegasset archiepiscopo hunc rebellem secuto? Ubi fortitudo? ubi constantia? nil certe omnium gestorum illius hoc foret inertius, nil imprudentius. — At ne opus qvidem erit tenorem litterarum animadvertere, hoc tantummodo animadvertas velim: istas litteras ex chartophylaceis Bremensium metropolitanorum depromtas fuisse, qvibus bullas, ubi ex sua re visum sit, contexere moris fuisse constat h). Hasce igitur litteras, adeo male cohærentes spurias denunciare, famamqve Innocentio reddere hisce brevibus faciendum esse duxi. Haud tamen ideo rei absonum fuisse dixerim, Adalberonem, qvo pristinum imperium recuperaret, omnia conatum fuisse; hujus enim rei exemplum exhibuit Hartvicus, Adalberonis in sede Bremensi successor, qvi, nil inexpertum relinqvens qvo suæ sedi pristinum decus restitueretur i), non modo Pontificem, verum etiam Imperatorem Romanum precibus fatigavit, nil vero eundem effecisse rei ipsius natura indicare videtur.

Pleno archiepiscopatus jure usus, ad obitum usqve Ao. 1138 hocce munere perfunctus est Adze-

h) Omnes Innocent. litteræ laudatæ peperiuntur in Harduini actis conciliorum T. VI. P. II. p. 1160, margini adscripto: "ex cod. mss. residentiæ Bonnensis Societat. Jesu, qvi codex olim fuit ecclesiæ Hamburgensis, continetqve vitas sanctorum".

i) Historia archiep. Bremens. ed. Fabricii p. 91. cfr. Lagerbring Suearik. Hist. II. p. 65. Suhm Histor. af Danm. VI. p. 42. Cels. apparat. ad Hist. Sueogoth. p. 33.

rus, tanto cum ſuorum amore, ut, Rege vel invito, poſt ejus mortem ſucceſſorem crearent Eſkillum ipſi conſangvineum k). Qvæ Adzero defuiſſe dicitur animi conſtantia l) in Eſkillo adeo illuxit, ut a primo inde tempore, qvo provinciam nactus eſſet, magnis rebus gerendis natus factusqve eſſe videretur. Varia fortuna ob inimicitias cum Rege ortas initio conflictatus eſt, at mox ſuperior factus hierarchiæ ſuæqve poteſtatis ſtabiliendæ primum fecit periculum, dum ad concilium nationale Lundæ celebrandum Ao. 1139 omnes ſuffraganeos, epiſcopos non Daniæ ſolum verum etiam Sveciæ Norvegiæqve autoritate archiepiſcopali convocaret m). Ipſum Theodignum, legatum a pontifice miſſum, huic concilio interfuiſſe n), ſatis declarat omnia Romæ ad favorem Eſkilli conſpiraſſe, adeoqve vanos manſiſſe clamores, qvos ad concilium inhibendum ſuſtuliſſet metropolitanus Bremenſis. Clamores enim riſit Eſkillus, concilium celebravit, epiſcoposqve poſthinc in Islandiam Grönlandiamqve mittendos conſecravit o).

k) Saxo lib. XIV. p. 250. ſeqv.

l) Pontoppid. annal. I. p. 281.

m) De hoc concilio vid. Münters Magazin für Kirchengeſch. u. Kirchenrecht d. Nordens II. Sect. 3. p. 9.

n) Magn. Matth. p. 31.

o) Münter vermiſchte Beyträge zur Kirchengeſch. p. 307.

11. *Eskillus, Hartvicus, Bernhardus, Nicolaus Breackspear.*

Prolixior justo forem, si, historiam anxie secutus, in singula videlicet inqvirerem, qvæ vitam Eskilli vel fata ecclesiæ illustrando inservirent. Qvomodo in provincia administranda odiisqve Bremensium vincendis sese gesserit jam ab aliis scriptoribus, nuperrimeqve a Celeb. Muntero nostro sat copiose ut qvoqve concinne tractatum est p); qvamobrem tantummodo qvod reqvirat singulorum nexus magis perspicuus luculentiorqve ordo repetendum censeo.

Successu hactenus caruerant conamina, qvibus recentem Lundensium dignitatem destruere jam diu studuerant archiepiscopi Bremenses. Nec Hartvicus qvidem, ipse Romam hoc consilio tendens, ecclesiæ suæ damna resarcire valuerat. Qvod vero ista via asseqvi neqvibat, alia expertum esse vero simillimum videtur, opportunitate, qvam vindictæ qvæsierat, ultro se offerente.

Reges nempe Sveciæ atqve Norvegiæ, eo qvod novus in Dania constitutus esset archiepiscopus, sese nil lucratos esse arbitrantes sua e re fore censebant, si in regnis ipsorum ditioni subjectis peculiarem qvoqve haberent archiepiscopum. Hartvicus si vel nullam hac de re hisce cum regibus iniiss rei haudqvaqvam absonum conjicer

p) ibid. p. 296-330.

terus q), haud tamen ignorabat qvantum imperii gloriæqve cupiditatis esset curiæ Romanæ, cui ut satis fieret, etiam amicos perdere haud erat insolitum. Eskillus non modo prudentia animoqve frangi nescio, verum etiam ipsis qvibus Romam adierat peregrinationibus, curiam Romanam arctissime sibi devinxerat. Maxime huc interea contulerat, qvo familiarissime utebatur, Bernhardus, ordinis Cisterciensis alter conditor r). Hic Romæ qvævis efficere valebat, qvippe cui tanta deberent pontifices. Illo causam agente victoriam præ æmulo reportaverat Innocentius s), isqve fuerat, qvi eidem pontifici regem Britanniæ conciliaverat t). At tali conjunctum facile intelliges nullis tempestatibus hucusqve frangi potuisse Eskillum. Jam vero inopinatum qvid accidit; neqve enim Bernhardo neqve Eskillo in mentem venire poterat consilium illud regum istave Hartvici calliditas. Periculum imminere sentiebat Eskillus, qvod licet freqventibus ad Bernhardum litteris avertere conaretur, haud tamen impedire valuit, qvin rogatu regum Sveciæ Norvegiæ-

... 318.

... us, A ... ensis pr... autor fuerat ordi-
... tercie ... 10... ne vero ei con-
... Bern ... vo et ... enominatus est.
... Bowe
... er VI
... d, P

qve duas rursus novas, ad suum imperium amplificandum, sedes archiepiscopales conderet Eugenius u).

Cui negotio perficiendo eligitur Nicolaus Breakspear, Albanensis episcopus idemqve cardinalis, ex Gallia oriundus, qvi per mare iter instituens Ao. 1152. d. 19. Jul. in Norvegiam pervenit, omnibusqve circa sacra ad normam institutionis pontificiæ ibidem compositis, archiepiscopatum Nidarosiæ instituit, primumqve archiepiscopum cui subessent omnes Norvegiæ, Islandiæ, Grönlandiæ Orcadumqve insularum episcopi, creavit Johannem Birgeri filium, eundemqve pallio donavit x). Ingentibus hinc donis dimissus, anno vertente Sveciam petiit, idem negotium illic perfecturus. Convocat consilium Lincopiæ celebrandum; conveniunt episcopi: at haud ita facile res conficitur. Dissensio qvippe, cui nutriendæ si non commovendæ procul dubio suum contulerat Eskillus, inter episcopos oritur. Futurus archiepiscopus utrum e Svecis an e Gothis eligeretur y), certatum est; animisqve invicem nondum con-

u) Münterus. l. c. p. 318.

x) Tormod. Torf. III. p. 531. cfr. Saxo Lib. XIV. p. 263. Lagerbring. II. p. 113. Suhm VI. p. 132.

y) Eskillum, jam anno vergente, adeoqve circa tempus, qvo celebratum sit concilium Lincopense, a Bernhardo, ad qvem verno tempore, ut putat Suhmius VI. p. 130. profectus est, rediisse facile fieri potuit. Ipsum vero concilium miscuisse, Münterus, nec temere me judice, conjicit. l. c. p. 319.

ciliatis, anno necdum elapſo concilium relinqvit Nicolaus z).

12. *Ortus primatus Lundenſis.*

Omnia, qvibus Eſkilli diminueretur imperium, jam inſtituta eſſe videbantur. Bernhardus vero Pontificis voluntatem interim edoctus, per abbatem Wilhelmum negotio qvodam ad ſe miſſum Eſkillum evocat, qvi, nuncio accepto, mox iter inſtituit, & qvidem menſe Majo, ut videtur, Ao. 1150. Hujus vero vocationis conſilium hoc fuiſſe videtur, ut amicum de poteſtatis jactura conſolaretur Bernhardus, eiqve in futurum conſilia ſuppeditaret, vel etiam fortaſſe ut de ratione, qva damnum reſarciretur, eundem faceret certiorem. Ille vero adeo brevi apud Bernhardum commoratus eſt, ut tempeſtive eodem anno redux, Nicolaum Albanenſem, qvi concilio Lincopenſi relicto per Daniam domum rediturus erat, hoſpitio excepiſſe reperiatur. Lundamne conſulto ierit Nicolaus, an hiberna, ut volunt nonnulli, tempeſtate coactus, eſt qvidem incertum; prius tamen mallem, & cur? paucis accipe: Cum ad archiepiſcopatus in Norvegia Sveciaqve conſtituendos Nicolaum miſiſſet Eugenius, facillime intelligere poterat, qvantum tali facto Eſkillo eripiendum foret; illum vero

z) Torm. Torf. l. c. Saxo l. c.

pontifici curæ cordiqve fuisse, qvis dubitet, qvi modo cogitaverit, qvanta ei cum Bernhardo esset familiaritas. Bernhardus vero curiæ Romanæ fuit qvasi oraculum, qvi si vel minus impedire potuisset, qvin consilio supra commemorato mitteretur Nicolaus, hoc tamen certo effecisse videtur, ut Eugenius amicum illius tot damna passurum aliqvo modo pensaret; & probe gnarus, qva potissimum ratione pensaretur ambitiosus Eskillus, a pontifice impetrasse, ut promissum primatus accipiendi, curis Eskilli svavem allaturum medelam, secum ferret Nicolaus. Hoc ut solamine amicum reficeret Bernhardus, eundem forsasse, ut supra a me dictum est, ad se vocavit. Eskillus vero ex Gallia redux litteris Nicolai Lincopiæ commorantis maximopere lætatus est, qvibus eum plus novæ dignitatis, qvam veteris amiserit, recepturum promittit, seqve damna ereptarum provinciarum Svetici primatus munere pensaturum pollicetur a). Nisi ergo absurda statuam, cursum Lundam consulto direxit Nicolaus, pallioqve, qvo futurus Sveciæ archiepiscopus ornaretur, in manibus Eskillis deposito, benignum pontificis animum eidem declaravit, volentis ut primatis munere auctus, qvem electuri essent Sveones archiepiscopum, pallio indueret; ipse vero Romam redux dignitatis confirmationem a pontifice mittendam curaret b).

a) Saxo Lib. XIV. p. 263. seqv.
b) id. l. c. Tormod. Torfæus l. c.

Eſkillus hoc pacto ex decreto, ut videtur, ipſius pontificis primas electus, nomine tantum caruit. Qvando vero dignitate confirmatus hoc primum gesſerit, definire haud ita facile erit. Nicolaum ipſum poſt Eugenium & Anaſtaſium pontificem factum promiſſo ſatisfeciſſe aſſerit Saxo c). Tormodus Torfæus mavult d) ab Anaſtaſio confirmationem miſſam eſſe Ao. 1154. Lagerbring eundem hunc annum e) Suhmius f) vero A. 1156 ponit, cum Eſkillus Adrianum IV, olim Nicolaum Breakſpear, Romæ viſitaret. Alii A. 1155 g), alii rurſus h) A. 1152 præferunt. Certi qvid in re tam ancipiti ſtatuere velle foret periculoſum, ſiqvidem documentis ad rem illuſtrandam pertinentibus ſimus deſtituti. Illos tamen minimum a vero abeſſe autumo, qvi A. 1154 juſtum aſſerunt, qvo nempe anno Eſkillus prima vice novo primatis Sveciæ titulo ſuperbiiſſe videtur i), licet non ideo abſonum dixerim, ſi qvis crediderit ipſum in vivis Eugenium bullam confirma-

c) l. c.

d) l. c.

e) l. c. p. 139.

f) l. c. VI. p. 209. cfr. Münter, l. c. p. 526.

g) Celſ. apparat. p. 26.

h) Rhyzel. II. p. 11.

i) Pontoppid. I. 382. Documento, cui hæc nititur conjectura, annum 1156 in margine manu eademqve recentiori appoſitum eſſe cum aſſerat Lagerbringius, nil certi manet.

toriam rogatu Bernhardi misisse, adeoqve Ao. 1153. Litteræ, qvalescunqve demum fuerint, haud amplius exstant k), eadem forte tristia fata passæ, ac litteras, qvibus archiepiscopatus Lundensis confirmaretur, subiisse existimamus. Qvondam vero exstitisse, si vel qvis, ut factum esse miremur, dubitaverit, litteræ tamen Innocentii III satis probant l).

Uberiori hac de re missa disputatione m), hoc stat: Eskillum ejusqve in sede Lundensi successores lege pontificia Sveciæ primates sedisqve apostolicæ legatos rite constitutos fuisse, qvibus reliqvus clerus, qvin ipse Sveonum archiepiscopus, ceu proprio primati obedientiam præstarent atqve reverentiam n).

13. *Consilium primatus Lundensis instituendi.*

Tantæ vero potestatis in unum conferendæ qvænam curiæ Romanæ fuerit ratio? est qvod qværatur. Rationem vero fuisse, stat. Haud enim qvid novi, qvin simul sibi consuleret, temere condidit curia illa. Injustior vero ut aliis in rebus, ita qvoqve in hac mihi videtur Ornhielmius, qvem plures temere secuti fædissimas hujus consilii rationes ab indole prava commodisqve curiæ Romanæ, Nicolai

k) Suhm VI. p. 139.
l) vid. Diplomatar. No. 3.
m) vid. plura in differt. Sommelii de meritis & fatis Eskilli, & in Münter. l. c.
n) cfr. Bulla Alexand. III. in Diplomatar. No. 2.

Albanenſis, Eſkilli Lundenſis, ut qvoqve Svenonis Danorum regis nimis odioſe repetunt o). Haud qvidem inficias ibo, gloriam imperiumqve nullis circumſcriptum limitibus epiſcopis Romanis in qvavis re agenda [illegible] rumqve obverſatum fuiſſe, qvod ut impetrarent haud ſemper juſtitiam coluiſſe; at ex ſingulis factis ad qvæcunqve concludere haud juſtum foret. Rationes primatum Lundæ condendi, ut illi aſſerunt ſcriptores, iſtæ fuere: Pontifex Romanus, ut Sveciam jam antiqvitus inde libertate elatam in perpetuum ſibi ſubjiceret, odiisqve mutuis graſſantibus ſeptentrionales terras ſua ſub ditione facilius retineret, Lundæ primatum condidit, qvo bellis disſidiisqve cauſa nunqvam deeſſet p). Porro contendunt: reges Daniæ primatum ſuis in terris ſedem figere voluiſſe, ut exinde juris atqve prærogativæ in regnum Sveciæ ſibi qværerent prætextum q). Haud meum erit iſtiusmodi prolixe refutare, mallem vero longinqvioribus propiores anteferre rationes, ideoqve ex rei natura hoc mihi facillime erui poſſe videtur: Ab eo inde tempore, qvo autoritatem præſulis Bremenſis faſtidire coepiſſent gentes hyperboreæ, earumqve reges interminati fuiſſent antiſtites ſeſe ſibimet creaturos, magis qvam antea neceſſarium viſum eſt

o) Hiſt. eccleſ. Libr. IV. p. 439. ſeqv.

p) Örnhielm. l. c. p. 442. Wilde l. c. p. 348.

q) Wilksmann. l. c. p. 48. Benzel. in monum. vet. eccleſ. Sueogoth. p. 202.

pontificibus rei qvalemcunqve afferre medelam, & omni solertia cavere ne tot provinciæ imperio suo subtraherentur. Fractæ jam Bremensium auctoritati haud poterant, qvin imo fortasse noluerunt, subvenire. Malebant igitur imperio suo conservando ita consulere, ut ex regum votis singulis peculiares darent archiepiscopos, qvi easdem, qvas antehac Bremensis metropolitanus, in re ecclesiastica vices tenerent. Tanto majus qvoqve hoc pacto foret incrementum splendoris curiæ Romanæ, qvanto plures adeo haberet suæ potentiæ procuratores. Ita vero regibus gentibusqve qvodammodo frenum injicientes haud a re sua alienum fore putabant, si qvoqve hisce archiepiscopis regendis eandem, qva hactenus gavisi erant Bremenses, potestatem certo cuidam tribuissent, id qvod tamen haud fieri poterat, nisi eidem illi dignitatem primatis concederent. Qvem vero potius insigni hoc nomine ornarent, qvam præfectum sedis Lundensis, qvi jam dudum ceteris dignitate antecellens, si consilium supra dictum perficeretur, sine culpa maximam amitteret provinciarum partem. Sedi Lundensi præter hæc jam præfuit vir, omnibus, qvas reqvireret curia Romana, instructus virtutibus. Sæpius enim istius animi constantiæ inqve civilibus magistratibus coercendis firmitatis, viro, qvi hierarchiam ut qvoqve auctoritatem pontificiam tueretur, adeo necessariæ, documenta exhibuerat Eskillus. Qvibus si adjeceris qvam arcte, propter Bernhardum

præcipue, curiæ Romanæ junctus fuerit Eskillus, minime, qvo rationes primatus Lundensis condendi detegantur, ad istud consilium decurrere opus erit: Pontifices inter gentes vicinas, qvo facilius omnibus imperarent, discordiam serere voluisse, vel ad illud qvod omni argumento deficit: regem Daniæ, in primatu Lundæ erigendo, prætextum juris in Sveciam sibi qvæsivisse.

Cap. III.

Fausta primatus Lundensis.

Ao. 1163-1278.

---

14. *Stephanus Upsalensis.*

Novem jam elapsi erant a concilio inde Lincopiæ celebrato anni, nec dum, qvæ inter Svecos Gothosqve de archiepiscopo eligendo orta fuerant, dissidia composita erant; & fortasse qvidem diutius res protracta fuisset, nisi interea qvid accidisset, qvo ad exitum maturari videbatur. Erico IX occiso imperium occupaverat Carolus Svercherides Ao. 1161, qvi rebus suis bene consultum fore sperans, si ecclesiis suæ ditionis summus crearetur præsul, diligenti id

egit cura, ut res in liqvidum perduceretur. Novum itaqve Ao. 1162, pontifice ipſo annuente, convocatur concilium Upſaliæ celebrandum, qvo demum inter Svecos Gothosqve ita convenit, ut primus Gothorum ex gente eligeretur archiepiſcopus, at ſedes inter Svecos Upſaliæ perpetuo maneret r). Fit ergo optio, plurimisqve probatur Stephanus, monachus Alvaſtrenſis, Bernhardo, cujus etiam ordini adſcitus reperitur, olim percarus; qvi, poſtqvam creatus eſſet, plurimis litteris comendatitiis inſtructus, celeberrimoqve Sveciæ duce Ulphone comitatus, mox iter Romam inſtituit a pontifice ipſo confirmationem petiturus s).

Qvæ cum gererentur, concilium nationale circa novas leges condendas, qvæ deinde nomine juris canonici Scaniæ promulgatæ ſunt t), Lundæ convocaverat Eſkillus; qvo cum diſtineretur negotio, non tamen, qvæ Upſaliæ agerentur, temere neglexit. Jam novus, cujus conſecrandi autoritate gaudebat, non modo ex promiſſo a decennio inde accepto, verum etiam ſolenni pontificia conſtitutione, archiepiſcopus electus erat, neqve hac vice ulterior ex decreto Eugenii III electioni opus erat confirmatio u), pal-

r) Örnhielm. Hiſt. eccleſ. p. 481. Lagerbring. II. p. 177.

s) Örnhielm. l. c, p. 482.

t) Kofod Anckers danſke Lovhiſtorie. I. p. 113.

u) Saxo Libr. XIV. p. 264. "pallium dandum ei, in qvem concors Sveonum Gothorumqve ſuffragium conveniſſet." Tom. Torfæus III. p. 532 iisdem fere verbis.

liumqve tantummodo ab Efkillo Lundæ erat petendum. Cum ergo, primate Sveciæ neglecto, iter ad pontificem instituiffet Stephanus, rem ægre tulit Efkillus, & licet qvidem nunc negotiis impediretur, qvo minus eum feqvi poffet, poft concilium tamen celebratum, adeo feftinanter illius veftigia presfit, ut eodem fere temporis momento Senonem, ubi tunc exul degebat pontifex Alexander, attigerit x). Præmaturo ifto itinere pallium a pontifice ipfo accipere, adeoqve imperium primatis Lundenfis, jam ab initio Svecis tam invifum, evitare Stephanum voluiffe, qvis non videt? Hocce illius confilio ita impedito, non poterat non Efkillus fibi gratulari, qvod jure fibi jam olim conceffo uti coramqve pontifice ipfo Stephanum confecrare pallioqve induere licuiffet y).

x) Minime qvidem me præterit rem aliis a fcriptoribus aliter relatam effe, qvos, cum non bene confentiunt, hoc facillime modo conciliari poffe exiftimavi. Refert Lagerbring II. p. 177. Efkillum fimul cum Stephano Senonem profectum. Rhyzelius I. p. 29. vult Efkillum jam Senone fuiffe Stephano adventante. Münterus vero, vid. vermifchte Beytr. p. 326. judicat, Efkillum, ex terra fancta reducem, forte qvadam Stephanum Senone offendiffe & qvidem Ao. 1164. Primum vero non 1164 fed 1163, ut exhibet bulla Alexandr. III vid. Celf. Bullar. p. 39. confecratus effe Stephanus videtur; deinde vix credibile eft Efkillum, prius in terram fanctam iter fufcepiffe qvam de exitu concilii Upfalenfis certior factus effet, qvibus deniqve accedit, qvod ab omni itinere tunc temporis inftituendo concilio Lundenfi impediretur.

y) Lagerbring. l. c.

Dura qvidem hæc Upſalenſi archiepiſcopo, at duriora manebant; litteris enim Stephano a pontifice datis expresſis verbis admonetur de obedientia reverentiaqve archiepiſcopo Lundenſi, ceu primati proprio, exhibenda, cui inſuper ejusqve in primatu ſucceſſoribus Upſalenſes qvoscunqve archiepiſcopos conſecrandi eſſet poteſtas z).

Multi Eſkillo ſtetit hæcce victoria; nam annis poſtea ingraveſcentibus, viribusqve deficientibus, cum priſtinus, qvo olim contra omnes injurias provinciam tuitus erat, ei non amplius adeſſet vigor, nullam ſenem vexandi opportunitatem emiſit Stephanus, præteritorum non oblitus, qva de cauſa injuriarum pertæſus Eſkillus ſeſe munere abdicatum concupivit. Retinuit qvidem pontifice ita jubente a); at cum Stephanus obedientiæ primati Lundenſi præſtandæ ita prorſus oblivisceretur, ut ad concilium vocatus venire recuſaret, iterum dolore afflictus Eſkillus qverelas de injuriis pontifici miſit, ejusdem auxilium implorans b). Qverelas audierit pontifex, necne, non

z) Bulla Alexandri III. vid. Diplomatar. No. I. Schefferus qvidem in Chron. archiep. Upſal. p. 7. ſeqv. totam hanc bullam ſuſpectam habuit; at autographo pontificis ipſius poſtea invento, omnis de ipſo dubitandi, ut recte monuit Örnhielmius, cauſa ſublata eſt.

a) Lagerbring. II. p. 264.

b) vid. Diplomatar. No. 2. Litteræ hæ, per abbatem Wilhelmum nomine archiepiſcopi Lundenſis ſcriptæ, recenſentur in Langebeck. ſcript. rer. danic. T. VI. p. 77. a

liqvet; probabile vero eſt, vexationes iſtas conſilium Eſkilli jam olim ſuſceptum maturaſſe, ut nempe dignitate relicta, poſt tantas qvas perpeſſus erat turbas, ſupremum vitæ tempus ad ſepulchralia amicisſimi Bernhardi tranqville transigeret. Ejus demum votis pontifex annuiſſe videtur, atqve ſic honores otiŏ deniqve commutavit Eſkillus, omnibus antea procuratis, qvo tantæ par dignitati ſibi ſubſtitueretur c).

15. *Abſalon.*

Qvem vero potius ſibi ſuffectum optaret Eſkillus qvam Abſalonem, dignitate epiſcopi Roſkildenſis conſpicuum eximiaqve prudentiæ atqve virtutis laude jam dudum inſignem. Hunc ergo primas Lundenſis, & capitulum totum nec non ipſe rex Waldemarus precibus pariter aggresſi commovere conati ſunt, ut archiepiſcopalem ſuſciperet dignitatem; at diu reſtitit Abſalon, ſui ipſius eccleſiæ amantisſimus, nec prius, qvam ipſius pontificis minis coactus, munus accepit. Ei vero ut aliqvantum indulgeret pontifex, provinciam hucusqve adminiſtratam ſimul cum nova nuper tradita retinere ipſi permiſit, qvo factum eſt, ut, archiepiſcopi Lundenſis obtine-

qvo ad Ao. 1177 referuntur, ex chronologia vero Bartholiniana ad Ao. 1199. Priorem ſententiam utpote veriſimiliorem amplexus ad Eſkilli ævum litteras retuli.

c) Saxo Libr. XIV. p. 358.

pontifici curæ cordiqve fuisse, qvis dubitet, qvi modo cogitaverit, qvanta ei cum Bernhardo esset familiaritas. Bernhardus vero curiæ Romanæ fuit qvasi oraculum, qvi si vel minus impedire potuisset, qvin consilio supra commemorato mitteretur Nicolaus, hoc tamen certo effecisse videtur, ut Eugenius amicum illius tot damna passurum aliqvo modo pensaret; & probe gnarus, qva potissimum ratione pensaretur ambitiosus Eskillus, a pontifice impetrasse, ut promissum primatus accipiendi, curis Eskilli svavem allaturum medelam, secum ferret Nicolaus. Hoc ut solamine amicum reficeret Bernhardus, eundem fortasse, ut supra a me dictum est, ad se vocavit. Eskillus vero ex Gallia redux litteris Nicolai Lincopiæ commorantis maximopere lætatus est, qvibus eum plus novæ dignitatis, qvam veteris amiserit, recepturum promittit, seqve damna ereptarum provinciarum Svetici primatus munere pensaturum pollicetur a). Nisi ergo absurda statuam, cursum Lundam consulto direxit Nicolaus, pallioqve, qvo futurus Sveciæ archiepiscopus ornaretur, in manibus Eskillis deposito, benignum pontificis animum eidem declaravit, volentis ut primatis munere auctus, qvem electuri essent Sveones archiepiscopum, pallio indueret; ipse vero Romam redux dignitatis confirmationem a pontifice mittendam curaret b).

a) Saxo Lib. XIV. p. 263. seqv.
b) id. l. c. Tormod. Torfæus l. c.

Eſkillus hoc pacto ex decreto, ut videtur, ipſius pontificis primas electus, nomine tantum caruit. Qvando vero dignitate confirmatus hoc primum geſſerit, definire haud ita facile erit. Nicolaum ipſum poſt Eugenium & Anaſtaſium pontificem factum promiſſo ſatisfeciſſe aſſerit Saxo c). Tormodus Torfæus mavult d) ab Anaſtaſio confirmationem miſſam eſſe Ao. 1154. Lagerbring eundem hunc annum e) Suhmius f) vero A. 1156 ponit, cum Eſkillus Adrianum IV, olim Nicolaum Breakſpear, Romæ viſitaret. Alii A. 1155 g), alii rurſus h) A. 1152 præferunt. Certi qvid in re tam ancipiti ſtatuere velle foret periculoſum, ſiqvidem documentis ad rem illuſtrandam pertinentibus ſimus deſtituti. Illos tamen minimum a vero abeſſe autumo, qvi A. 1154 juſtum aſſerunt, qvo nempe anno Eſkillus prima vice novo primatis Sveciæ titulo ſuperbiiſſe videtur i), licet non ideo abſonum dixerim, ſi qvis crediderit ipſum in vivis Eugenium bullam confirma-

c) l. c.

d) l. c.

e) l. c. p. 139.

f) l. c. VI. p. 209. cfr. Münter, l. c. p. 526.

g) Celſ. apparat. p. 26.

h) Rhyzel. II. p. 11.

i) Pontoppid. I. 382. Documento, cui hæc nititur conjectura, annum 1156 in margine manu eademqve recentiori appoſitum eſſe cum aſſerat Lagerbringius, nil certi manet.

toriam rogatu Bernhardi misisse, adeoqve Ao. 1153. Litteræ, qvalescunqve demum fuerint, haud amplius exstant k), eadem forte tristia fata passæ, ac litteras, qvibus archiepiscopatus Lundensis confirmaretur, subiisse existimamus. Qvondam vero exstitisse, si vel qvis, ut factum esse miremur, dubitaverit, litteræ tamen Innocentii III satis probant l).

Uberiori hac de re missa disputatione m), hoc stat: Eskillum ejusqve in sede Lundensi successores lege pontificia Sveciæ primates sedisqve apostolicæ legatos rite constitutos fuisse, qvibus reliqvus clerus, qvin ipse Sveonum archiepiscopus, ceu proprio primati obedientiam præstarent atqve reverentiam n).

13. *Consilium primatus Lundensis instituendi.*

Tantæ vero potestatis in unum conferendæ qvænam curiæ Romanæ fuerit ratio? est qvod qværatur. Rationem vero fuisse, stat. Haud enim qvid novi, qvin simul sibi consuleret, temere condidit curia illa. Injustior vero ut aliis in rebus, ita qvoqve in hac mihi videtur Ornhielmius, qvem plures temere secuti fædissimas hujus consilii rationes ab indole prava commodisqve curiæ Romanæ, Nicolai

k) Suhm VI. p. 139.
l) vid. Diplomatar. No. 3.
m) vid. plura in differt. Sommelii de meritis & fatis Eskilli, & in Münter. l. c.
n) cfr. Bulla Alexand. III. in Diplomatar. No. 2.

Albanensis, Eskilli Lundensis, ut qvoqve Svenonis Danorum regis nimis odiose repetunt o). Haud qvidem inficias ibo, gloriam imperiumqve nullis circumscriptum limitibus episcopis Romanis in qvavis re agenda * rumqve obversatum fuisse, qvod ut impetrarent haud semper justitiam coluisse; at ex singulis factis ad qvæcunqve concludere haud justum foret. Rationes primatum Lundæ condendi, ut illi asserunt scriptores, istæ fuere: Pontifex Romanus, ut Sveciam jam antiqvitus inde libertate elatam in perpetuum sibi subjiceret, odiisqve mutuis grassantibus septentrionales terras sua sub ditione facilius retineret, Lundæ primatum condidit, qvo bellis dissidiisqve causa nunqvam deesset p). Porro contendunt: reges Daniæ primatum suis in terris sedem figere voluisse, ut exinde juris atqve prærogativæ in regnum Sveciæ sibi qværerent prætextum q). Haud meum erit istiusmodi prolixe refutare, mallem vero longinqvioribus propiores anteferre rationes, ideoqve ex rei natura hoc mihi facillime erui posse videtur: Ab eo inde tempore, qvo autoritatem præsulis Bremensis fastidire coepissent gentes hyperboreæ, earumqve reges interminati fuissent antistites sese sibimet creaturos, magis qvam antea necessarium visum est

o) Hist. eccles. Libr. IV. p. 439. seqv.

p) Örnhielm. l. c. p. 442. Wilde l. c. p. 348.

q) Wilksmann. l. c. p. 48. Benzel. in monum. vet. eccles. Sueogoth. p. 202.

pontificibus rei qvalemcunqve afferre medelam, & omni ſolertia cavere ne tot provinciæ imperio ſuo ſubtraherentur. Fractæ jam Bremenſium auctoritati haud poterant, qvin imo fortaſſe noluerunt, ſubvenire. Malebant igitur imperio ſuo conſervando ita conſulere, ut ex regum votis ſingulis peculiares darent archiepiſcopos, qvi easdem, qvas antehac Bremenſis metropolitanus, in re eccleſiaſtica vices tenerent. Tanto majus qvoqve hoc pacto foret incrementum ſplendoris curiæ Romanæ, qvanto plures adeo haberet ſuæ potentiæ procuratores. Ita vero regibus gentibusqve qvodammodo frenum injicientes haud a re ſua alienum fore putabant, ſi qvoqve hiſce archiepiſcopis regendis eandem, qva hactenus gaviſi erant Bremenſes, poteſtatem certo cuidam tribuiſſent, id qvod tamen haud fieri poterat, niſi eidem illi dignitatem primatis concederent. Qvem vero potius inſigni hoc nomine ornarent, qvam præfectum ſedis Lundenſis, qvi jam dudum ceteris dignitate antecellens, ſi conſilium ſupra dictum perficeretur, ſine culpa maximam amitteret provinciarum partem. Sedi Lundenſi præter hæc jam præfuit vir, omnibus, qvas reqvireret curia Romana, inſtructus virtutibus. Sæpius enim iſtius animi conſtantiæ inqve civilibus magiſtratibus coercendis firmitatis, viro, qvi hierarchiam ut qvoqve auctoritatem pontificiam tueretur, adeo neceſſariæ, documenta exhibuerat Eſkillus. Qvibus ſi adjeceris qvam arcte, propter Bernhardum

præcipue, curiæ Romanæ junctus fuerit Eskillus, minime, qvo rationes primatus Lundensis condendi detegantur, ad istud consilium decurrere opus erit: Pontifices inter gentes vicinas, qvo facilius omnibus imperarent, discordiam serere voluisse, vel ad illud qvod omni argumento deficit: regem Daniæ, in primatu Lundæ erigendo, prætextum juris in Sveciam sibi qvæsivisse.

Cap. III.

Fausta primatus Lundensis.

Ao. 1163-1278.

14. *Stephanus Upsalensis.*

Novem jam elapsi erant a concilio inde Lincopiæ celebrato anni, nec dum, qvæ inter Svecos Gothosqve de archiepiscopo eligendo orta fuerant, dissidia composita erant; & fortasse qvidem diutius res protracta fuisset, nisi interea qvid accidisset, qvo ad exitum maturari videbatur. Erico IX occiso imperium occupaverat Carolus Svercherides Ao. 1161, qvi rebus suis bene consultum fore sperans, si ecclesiis suæ ditionis summus crearetur præsul, diligenti id

egit cura, ut res in liqvidum perduceretur. Novum itaqve Ao. 1162, pontifice ipso annuente, convocatur concilium Upsaliæ celebrandum, qvo demum inter Svecos Gothosqve ita convenit, ut primus Gothorum ex gente eligeretur archiepiscopus, at sedes inter Svecos Upsaliæ perpetuo maneret r). Fit ergo optio, plurimisqve probatur Stephanus, monachus Alvastrensis, Bernhardo, cujus etiam ordini adscitus reperitur, olim percarus; qvi, postqvam creatus esset, plurimis litteris comendatitiis instructus, celeberrimoqve Sveciæ duce Ulphone comitatus, mox iter Romam instituit a pontifice ipso confirmationem petiturus s).

Qvæ cum gererentur, concilium nationale circa novas leges condendas, qvæ deinde nomine juris canonici Scaniæ promulgatæ sunt t), Lundæ convocaverat Eskillus; qvo cum distineretur negotio, non tamen, qvæ Upsaliæ agerentur, temere neglexit. Jam novus, cujus consecrandi autoritate gaudebat, non modo ex promisso a decennio inde accepto, verum etiam solenni pontificia constitutione, archiepiscopus electus erat, neqve hac vice ulterior ex decreto Eugenii III electioni opus erat confirmatio u), pal-

r) Örnhielm. Hist. eccles. p. 481. Lagerbring. II. p. 177.

s) Örnhielm. l. c, p. 482.

t) Kofod Anckers danske Lovhistorie. I. p. 113.

u) Saxo Libr. XIV. p. 264. "pallium dandum ei, in qvem concors Sveonum Gothorumqve suffragium convenisset." Tom, Torfæus III. p. 532 iisdem fere verbis.

liumqve tantummodo ab Eſkillo Lundæ erat petendum. Cum ergo, primate Sveciæ neglecto, iter ad pontificem inſtituiſſet Stephanus, rem ægre tulit Eſkillus, & licet qvidem nunc negotiis impediretur, qvo minus eum ſeqvi poſſet, poſt concilium tamen celebratum, adeo feſtinanter illius veſtigia preſſit, ut eodem fere temporis momento Senonem, ubi tunc exul degebat pontifex Alexander, attigerit x). Præmaturo iſto itinere pallium a pontifice ipſo accipere, adeoqve imperium primatis Lundenſis, jam ab initio Svecis tam inviſum, evitare Stephanum voluiſſe, qvis non videt? Hocce illius conſilio ita impedito, non poterat non Eſkillus ſibi gratulari, qvod jure ſibi jam olim conceſſo uti coramqve pontifice ipſo Stephanum conſecrare pallioqve induere licuiſſet y).

x) Minime qvidem me præterit rem aliis a ſcriptoribus aliter relatam eſſe, qvos, cum non bene conſentiunt, hoc facillime modo conciliari poſſe exiſtimavi. Refert Lagerbring II. p. 177. Eſkillum ſimul cum Stephano Senonem profectum. Rhyzelius I. p. 29. vult Eſkillum jam Senone fuiſſe Stephano adventante. Münterus vero, vid. vermiſchte Beytr. p. 326. judicat, Eſkillum, ex terra ſancta reducem, forte qvadam Stephanum Senone offendiſſe & qvidem Ao. 1164. Primum vero non 1164 ſed 1163, ut exhibet bulla Alexandr. III vid. Celſ. Bullar. p. 39. conſecratus eſſe Stephanus videtur; deinde vix credibile eſt Eſkillum, prius in terram ſanctam iter ſuſcepiſſe qvam de exitu concilii Upſalenſis certior factus eſſet, qvibus deniqve accedit, qvod ab omni itinere tunc temporis inſtituendo concilio Lundenſi impediretur.

y) Lagerbring. l. c.

Dura qvidem hæc Upſalenſi archiepiſcopo, at duriora manebant; litteris enim Stephano a pontifice datis expresſis verbis admonetur de obedientia reverentiaqve archiepiſcopo Lundenſi, ceu primati proprio, exhibenda, cui inſuper ejusqve in primatu ſucceſſoribus Upſalenſes qvoscunqve archiepiſcopos conſecrandi eſſet poteſtas z).

Multi Eſkillo ſtetit hæcce victoria; nam annis poſtea ingraveſcentibus, viribusqve deficientibus, cum priſtinus, qvo olim contra omnes injurias provinciam tuitus erat, ei non amplius adeſſet vigor, nullam ſenem vexandi opportunitatem emiſit Stephanus, præteritorum non oblitus, qva de cauſa injuriarum pertæſus Eſkillus ſeſe munere abdicatum concupivit. Retinuit qvidem pontifice ita jubente a); at cum Stephanus obedientiæ primati Lundenſi præſtandæ ita prorſus obliviſceretur, ut ad concilium vocatus venire recuſaret, iterum dolore afflictus Eſkillus qverelas de injuriis pontifici miſit, ejusdem auxilium implorans b). Qverelas audierit pontifex, necne, non

z) Bulla Alexandri III. vid. Diplomatar. No. I. Schefferus qvidem in Chron. archiep. Upſal. p. 7. ſeqv. totam hanc bullam ſuſpectam habuit; at autographo pontificis ipſius poſtea invento, omnis de ipſo dubitandi, ut recte monuit Örnhielmius, cauſa ſublata eſt.

a) Lagerbring. II. p. 264.

b) vid. Diplomatar. No. 2. Litteræ hæ, per abbatem Wilhelmum nomine archiepiſcopi Lundenſis ſcriptæ, recenſentur in Langebeck. ſcript. rer. danic. T. VI. p. 77. a

liqvet; probabile vero eſt, vexationes iſtas conſilium Eſkilli jam olim ſuſceptum maturaſſe, ut nempe dignitate relicta, poſt tantas qvas perpeſſus erat turbas, ſupremum vitæ tempus ad ſepulchralia amiciſſimi Bernhardi tranqville transigeret. Ejus demum votis pontifex annuiſſe videtur, atqve ſic honores otiô deniqve commutavit Eſkillus, omnibus antea procuratis, qvo tantæ par dignitati ſibi ſubſtitueretur c).

15. *Abſalon.*

Qvem vero potius ſibi ſuffectum optaret Eſkillus qvam Abſalonem, dignitate epiſcopi Roſkildenſis conſpicuum eximiaqve prudentiæ atqve virtutis laude jam dudum inſignem. Hunc ergo primas Lundenſis, & capitulum totum nec non ipſe rex Waldemarus precibus pariter aggreſſi commovere conati ſunt, ut archiepiſcopalem ſuſciperet dignitatem: at diu reſtitit Abſalon, ſui ipſius eccleſiæ amantiſſimus, nec prius, qvam ipſius pontificis minis coactus, munus accepit. Ei vero ut aliqvantum indulgeret pontifex, provinciam hucusqve adminiſtratam ſimul cum nova nuper tradita retinere ipſi permiſit, qvo factum eſt, ut, archiepiſcopi Lundenſis obtine-

qvo ad Ao. 1177 referuntur, ex chronologia vero Bartholiniana ad Ao. 1199. Priorem ſententiam utpote veriſimiliorem amplexus ad Eſkilli ævum litteras retuli.

c) Saxo Libr. XIV. p. 358.

ret locum, ecclesia Roskildensi nihilominus retenta d).

Exemplum singulare, & qvod notetur dignissimum, siqvidem in omni ecclesia catholica primum unius viri, duobus tam gravibus muneribus simul perfuncti e).

Postqvam vero Absalon muneri, & qvidem a Galando Legato Roma huc misso Ao. 1177 Lundæ præfectus esset f), calumniæ, qvibus antea primatum vexaverant Upsalenses, dispergi coeperunt. Qvali in novum Sveciæ primatem animo fuerit Stephanus, haud facile erit dictu, at certe desiit prioribus irritis novos addere conatus; & si vel ceteri haud æqvo animo tulerint se primati subjectos dici, de jure tamen archiepiscopi Lundensis eos consecrandi adeo persvasi fuisse videntur, ut & Johannes Stephani successor g) & qvi, illo a paganis, ut fertur,

d) Saxo. l. c. p. 357. seqv.

e) Spondan. Epitom. annal. Baron. Tom. II. p. 585. ad A. 1177. cfr. Baron. annal. ad eundem annum.

f) Pontoppid. I. p. 289. qvidem habet Ao. 1179. at cum exstant plures Absalonis litteræ Ao. 1177 scriptæ in qvibus ipse se dicit "Lundensem archiepiscopum apostolicæ sedis legatum, Daciæ Sveciæqve primatem" vid. Diplomatar. Arna-Magnæanum I. p. 42. seqv. Pontoppidano assentiri neqveo.

g) Pontoppidan I. p. 464. eumqve secutus Georgi dissert. de primatu p. 8. referunt: Svecos post obitum Stephani legatos Romam misisse, qvi aliam, qvam Lundensem, successori illius Johanni expeterent consecrationem, at archielecto officium præstare jusso repulsam tulisse. Qvod,

interemto, postea electus est Petrus h), Lundam absqve hæsitatione venirent consecratione pallioqve adornandi. De reliqvis primatis juribus abolendis haud tamen omnino desperaverant, cujus vix fecissent periculum, nisi ipsa curia Romana, in agendo nonnunqvam sibi haud satis constans, exemplum qvodammodo dedisset. Brevi exponam: inter episcopum Lincopensem Colonem & Stenarum episcopum Vexionensem de finibus provinciarum lites exortæ erant, qvorum hic, ut ex litteris pontificis Coelstini III i) haud obscure patet, antiqvis sui episcopatus terminis non contentus, præter morem majorum, eosdem alterius cum injuria proferre concupivit. Haud dubie, ut bene monuit Örnhielmius k), sibi in hoc negotio judicis partes deposcere poterat archiepiscopus Lundensis; qvi non modo Sverici primatis verum legati qvoqve apostolici titulo esset ornatus. Tantum vero abfuit ut Absalonis arbitrio litem permitteret pontifex, ut tribus aliis, qvorum in numero archiepiscopus Upsalensis, causam traderet dirimendam. Autumat qvidem Örnhielmius, Absalonem, si illius judicio commissa fuisset causa, Vexionensium terminos ultra fas augeri voluisse, ea scilicet

cum ceteri omnes reticeant scriptores, nec idoneis nitetur argumentis, falso habendum censeo.

h) Lagerbring. II. p. 274.

i) cfr. Örnhielm. p. 569.

k) p. 570.

ſpe, fore ut aliqvando, ſiqvidem Lundenſi ſedi propiores, ditioni ſuæ adjungerentur, ideoqve pontificem jurisdictionem Lundenſi primati peculiarem Abſaloni hac vice interdixiſſe. Eqvidem, licet non præfracte negabo hanc cogitari poſſe rationem, mallem tamen pontificem ad amicitiam, qva cum Stenaro Abſalon junctus fuiſſe videtur l), reſpexiſſe, ideoqve ſalutem Colonis amico inimic committere noluiſſe. Qvaliscunqve vel fuerit cauſa, haudqvaqvam tamen impedivit, qvo minus æqve ac priores pontifices Coeleſtinus Abſalonem honore haberet m); iſta vero agendi ratio minime prudens vel juſta, ſiqvidem jure primatis ſemel poſthabito, illius imperio ſeſe ſubtrahere minus dubitarent Upſalenſes, qvod qvoqve accidiſſet, niſi tanta Abſalonis fuiſſet auctoritas, ut qvoscunqve ejusmodi conatus repellere valuiſſet.

Exemplum hujus rei extitit Petrus Upſalenſis archiepiſcopus. Erat in conſtitutione Lateranenſi ſancitum, ne cui de legitimo thoro haud ſuſcepto, altioris in ordine eccleſiaſtico gradus faſtigium petere liceret; tales itaqve epiſcopos creari ex illo jure nefas habebatur. Jam in Svecia plurimi hujus generis inter clericos reperiebantur. Vacabant in dioeceſi Upſalenſi tres epiſcopatus, qvibus procurandis, neglecta conſtitutione ſupra commemorata, mox totidem

l) cfr. Lagerbr. II. p. 279.

m) vid. Innocent. III. Bulla. Diplomatar. No. 3.

eliguntur clerici, omnes iſto vitio laborantes, qva de re Abſalon certior factus Upſalenſi archiepiſcopo illorum ratam habere electionem, eosve conſecrare interdixit. Ille vero contra conſtitutionem prædictam & interdictum primatis agere haud veritus duos illorum muneri conſecravit; qvod tamen ab Abſalone haud impunitum tulit, is enim duobus ab officio remotis, qvo minus tertius qvoqve electus inauguraretur, impedivit n). Ita fortiter ſeſe gerendo ſuæ pariter ac provinciæ gloriæ conſuluit.

Interea ſedem Romanam occupavit Innocentius III, Gregorio VII imperii cupiditate haud inferior, cujus omnis in eo verſabatur cura, ut, clero ad ſummam poteſtatem evecto, ipſe omnibus ſuperior ſublimi, ut ita dicam, vertice ſidera feriret o). Hinc novos condidit p), veteres confirmavit primatus, viros, qvibus confideret, ubicunqve collocans, de conſilio obtinendo adeo certior. Illius ſub auſpiciis multa ſibi bona augurari potuiſſe primatum Lundenſem, qvis non videt? eoqve majora qvo majori conſilio atqve virtute Innocentio innotuerat Abſalon. Tantum virum ſibi conciliari non poterat non Innocentius optare, ideoqve eum primis imperii initiis

n) Hæc ſunt fere ipſius Innocentii in bulla verba, cfr. Celſii bullarium p. 47.

o) Münter om Hierarkiet under Innocens den IIIdie.

p) Vide Geſta Innocentii III p. 35. ſeqv. & litter. T. II. p. 31. in collect. Baluziana.

Abſaloni qvæcunqve a majoribus jura conceſſa libentisſime confirmaſſe q) videmus, eademqve confirmata adeo ſolicite tuitum fuiſſe, ut, illo regnante, Lundenſes vexandi animus Upſalenſibus nunqvam acceſſerit.

Tertia vice archiepiſcopum Upſalenſem inaugurandi opportunitas Abſaloni ſeſe obtulit. Moritur Petrus Ao. 1198. Defuncti in locum eligitur Olavus Lambatunga. A primate Lundenſi nec non archielecto Upſalenſi multis cum litteris commendatitiis legati Romam pariter adeunt pallium ſibi exorantes r). Bene exceptis pallium cum litteris ad archielectum dat Innocentius, qvibus ille ab archiepiſcopo Lundenſi pallium atqve conſecrationem accipere jubetur eidemqve reverentiam fide jurisjurandi promittere. Legatis domum reverſis Lundam ſeſe recipit Olavus conſecratione atqve pallio ibidem adornandus, atqve ſic per Abſalonem in cathedrali muneri idoneus declaratur. Hunc ipſum Olavum Ao. 1200 adhuc in vivis Abſalonis defunctum eſſe vulgaris qvidem eſt opinio s), cui vero cum multa repugnent, in ſeqventibus rectius qvid ſubſtituere conabor.

q) Confirmatoria bull. Innocentii III. vid. Diplomatar. No. 3.

r) Ex litteris Innoc. ad Olavum apparet, nomen legato Lundenſi Tobiam, Upſalenſis vero Walthcrum fuiſſe. cfr. Collect. Baluz. T. I. p. 221.

s) Chronicon archiepiſc. Upſal. p. 15. Rhyzel. I. p. 32. & plures.

Multis deniqve perfunctus laboribus, provinciaqve optime administrata moritur Absalon Ao. 1201 t).

16. *Andreas Sunonis.*

Si invidiam cogitaveris, qva archiepiscopos Lundenses jam ab initiis inde primatus inspexerint Upsalenses, si porro memineris pericula hujus jugi excutiendi jam dudum facta: facile intelliges viris multi consilii multæqve constantiæ opus fuisse, qvi contra qvoscunqve impetus callidasqve machinationes provinciæ jura tuerentur. Talis fuerat Absalon, eoqve magis illius successori & ingenium & consilium haud vulgare necessarium videbatur. Utroqve eminuit Andreas Sunonis, favore insuper summaqve Innocentii fiducia ornatus. Illius ergo sub auspiciis primatui Lundensi nihil metuendum. Ceterum qvantum eminebat artibus, tantum qvoqve externo conspicuus erat honore. Certe enim constat u), illum solum inter omnes, qvotqvot in nostris terris fuerint primates, si Isarnum longe postea degentem demseris, Cardinalis dignitate ornatum fuisse. A pontifice maximi habebatur, id qvod declarant non

t) Magn. Mathiæ p. 53.

u) Litteræ Gervasii, abbatis cujusdam in Gallia, qvibus hoc nomine salutatur Andreas, reperiuntur in Sacr. Antiqvitat. monum. hist. dogmat. diplomat. Carol. Ludovici Hugonis T. I. p. 108. cfr. Lagerbring II. p. 436. seqv.

modo priores illæ litteræ x), qvibus omnia antecessoribus jura concessa ei confirmantur, verum etiam multæ posteriores, in qvibus censum Petrinum per Daniam Sveciamqve colligendum eidem commendat, plena liberaqve adjuncta autoritate contradictores, si qvi fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellere y), partim illius curæ in Upsalensi non minus qvam Lundensi dioecesi ecclesias committit, qvibus vice ipsius pontificis, arbitrio proprio usus z), provideret; partim ei indulget, ut autoritate pontificis toti provinciæ Lundensi officium visitationis impendens corrigenda corrigat, statuatqve statuenda, & pro labore moderata accipiat procurationes; partim ut causas ad se delatas dijudicaret, sacrilegos poena liberaret, & sic porro a).

Ista aliaqve plura Innocentii III erga Andream nostrum benevolentiæ documenta haud dubie multum ponderis adjecerunt æstimationi, qva Upsalenses eum semper exornasse videmus. Per hanc benevolentiam effectum est, ut primis imperii initiis ejus in re ardua auxilium sibi imploraret archiepiscopus Upsalensis. Incendio nempe deletum erat pallium archiepiscopi Upsalensis, illud vero, ut supra do-

x) vid. Diplomatar. No. 4.
y) vid. Diplomatar. No. 5.
z) vid. Diplomatar. No. 6.
a) vid. Porthan. Appendix ad recension. bullarii Celsii p. 3. Bullam similis tenoris ab Honorio III Ao. 1217 datam vide Diplomatar. No. 9.

cuimus, tanti habebatur, ut, hoc destitutus ornamento, nil plane sua in provincia administrare posset b). Novum ergo per legatos Romæ qværendum, partim vero legati hocce negotio mittendi archiepiscopo facultas haud affuisse videtur, partim ad tantam gratiam obtinendam æstimatissimi viri indigebat commendatione. Andream igitur adit rogans, ut nuncium precesqve suo loco Romam mitteret qvo novum pallium impertiretur. Causam suscipit Andreas nunciosqve cum litteris mittit. Qvibus acceptis, Innocentius pro re nova aliqvamdiu hærens, demum, nec absqve multis ambagibus, multisqve reservationibus, Andreæ maxime ductus autoritate pallium mittit, a primate Lundensi archiepiscopo Upsalensi induendum c); qva tamen gratificatione huic non contigit perfrui, obiit enim legatis cum pallio nondum reversis. Jam vero qværatur: qvisnam fuerit Upsalensis ille archiepiscopus? procul dubio Olaus Lambatunga; litteræ enim Innocentii scriptæ sunt Ao. 1204, nec ante A. 1207 novus qvis post Olavum creatus est archiepiscopus. At dicas: Ola-

b) Conveniunt in hoc Canonistæ, licet tamen non omni vacat exceptione. Alex. III pontifex v. c. permiserat metropolitano confirmato, vel ante pallium obtentum, jus suffraganeum consecrandi. vid. Corp. jur. canon. ed. Pelletier. VI. p. 16.

c) litter. Innocentii vid. in Diplomatar. No. 7.

vum, nisi omnes simul errant scriptores, Ao. 1200 interiisse, qvomodo igitur istam rem suscipere potuisset Andreas primum Ao. 1201 archiepiscopus constitutus, & fac potuisse: cui bono viro defuncto pallium expeteret? cur deniqve, si pallium concederet Innocentius III, per annos qvatuor rem conficere moraretur?

Miror utiqve scriptores in hanc qvæstionem non penitius inqvisivisse. Solus Lagerbringius, licet & ipse alio loco dicit Olavum Ao. 1200 occidisse d), lucem hisce tenebris allaturam facit conjecturam e), qvam, qvippe simplicitate sese, me judice, commendantem, amplecti minime dubito. In veteri scilicet archiepiscoporum Lundensium chronico, a Scheffero notis adornato, p. 14. leguntur hæc verba: "qvartus archiepiscopus fuit Dominus Olaus dictus Lambatunga, qvi obiit anno Domini MCC 3 Idus Novembris". Si jam legatur annus & dies ita: MCCIII Id. Nov. omnino melior exit sensus, nec litteris Innocentii amplius repugnans. Fieri enim potuit, ut eodem, qvo Olavus mortuus sit anno, Andreæ ad pontificem missi sint legati, nec prius qvam anno seqventi redire potuerint, fama de Olavi obitu Romam nondum perlata. Pluribus hæc perseqvi nolui, siqvidem ad meum argumentum minus

d) Suearikes Histor. II. p. 418.

e) l. c. p. 439 & 441.

pertinentia, dicta vero ad historiam integriorem qvodammodo sistendam necessaria duxi f).

Olavo fatis functo sedem Upsalensem diu vacasse reperimus, qva de causa incertum. Constat qvidem Andream Sunonis Livoniam Ao. 1206 adiisse g), qvod iter, si interea qvis electus fuisset archiepiscopus Upsalensis, consecrationi utiqve moram injicere potuisset; at consentiunt scriptores, rem haud prius confectam esse, qvam Ao. 1207, cum in Valerio qvodam, Suerkeri olim sacellario, muneri huic eligendo convenissent clerus & populus. Hic vero nova obstacula iterum removenda. Valerius ille, litterarum peritia morumqve castitate ceterum insignis, haud de legitimo matrimonio, id qvod tunc temporis sæpius accidisse videtur, erat procreatus, cujus igitur, ut in historia Absalonis supra docuimus, electionem ratam habere constitutione Lateranensi vetabatur. In re tantæ difficultatis ad auxilium Andreæ iterum de-

f) Messenius vult Olavum mortuum esse Ao. 1206: cujus ad sententiam, firmis argumentis utpote non suffultam, temere accedere haud ausus sum. Benzel. in monum. vet. ecclef. Sveogoth. p. 194, eam qvidem oppugnat, nihilominus tamen mihi haud contemnenda videtur, cum exstat bulla qvædam Innocentii III A. 1206 archiepiscopo Upsalensi scripta, tempore igitur, qvo nondum muneri præfectus erat Olavi successor, qvæ, nisi temporis nota ei adscripta in vitio est, ut opinari videtur Celse, Bullar. pag. 50. haud parum ponderis sententiæ Messenii adjicit.

g) Pontoppid. I. p. 551.

currebatur, qvi, re ſuſcepta, maxima circumſpectione, ne pontificias offenderet aures, non *electum*, at *vocatum* Valerium nominans, pontifici qvam maxime commendavit, eidem de vocatione illius confirmanda ſupplicans.

En vero hic pontificiæ conſtantiæ documentum! Innocentius, qvi jam olim Abſalonem, ſimili negotio rigide verſantem, laudaverat, litteris Andreæ acceptis, rem cum ſuis diligenter tractat, dubius hæret, indecens affirmat, abſurdum judicat, & deniqve — Valerium confirmat h). Itaqve ſive Ao. 1207 exeunte ſive Ao. 1208 ineunte Valerius muneri præficitur, pallio ab Andrea Lundæ adornatus i).

Exemplum jam ſemel datum iterum edere haud dubitavit Innocentius. Accidit nempe, ut ad religionem Chriſtianam propagandam, defuncti cujusdam loco, Finlandis crearetur epiſcopus. Electus fuerat Thomas qvidam vir ſingularis induſtriæ, at etiam ille natalium vitio laborans, qvem itaqve absqve pontificis conſenſu conſecrare non auſus eſt Andreas; nec veniam denegavit Innocentius, illegitimoqve natalitio condonato, Thomas ab archiepiſcopo Lundenſi conſecratur Ao. 1209 k).

h) Innocent. litter. ad Andream hac de re vid. Diplomatar. No. 8.

i) Benzel. mon. vet. eccleſ. Sveogoth. pag. 195. Rhyz. I. pag. 33.

k) Innocent. litter. ad Andream reperiuntur in bullario Celſii p. 52.

Qvanto vero plura benevolentiæ documenta ab Innocentio retulit Andreas, tanto qvoqve magis mirandum hunc ipſum dictis pontificis obedientiam unqvam denegaſſe, qvod tamen factum ipſius Innocentii nos edocent litteræ. Concilium nimirum Lateranenſe Ao. 1215 celebrandum erat, ad qvod jam Ao. 1213 per litteras clerum convocaverat Innocentius, paucis modo, qvi ſacra curarent, relictis. Vocati ſeſe excuſaverant & Andreas Lundenſis & Valerius Upſalenſis, qvo facto iterum ad utrumqve litteræ mittuntur, in qvibus haud diſſimulat pontifex ſeſe valde mirare archiepiſcopos tali in re ſe excuſare voluiſſe, cum juramento dato ad qvodcunqve concilicium celebrandum, jubente pontifice, venire eſſent adſtricti. Repetita igitur vocatione pollicetur ſe a Deo expetiturum fore: "ut fluctibus frementis freti ſedatis, navigantibus fieret optata tranqvillitas, qvo iter perficerent" l), at neuter venit.

Archiepiſcopos tale qvid auſos fuiſſe Innocentio ſedente, in qvo ſæpius pro ratione ſtetit voluntas, eſt qvod juſte miremur. Nec hoc primum exſtitit hujusmodi inobedientiæ exemplum. Jam Ao. 1208 tribus Sveciæ epiſcopis per litteras mandaverat Innocentius, ut Ericum Canuti filium, "niſi Sverkero regnum in pace dimitteret", interdicto ferirent m), nec hæc in re ei geſtus eſt mos; qvin immo hunc ip-

l) vid. Innocent. litt. in Collect. Baluz. II. p. 833.
m) Litteræ habentur in Bullar. Celſii p. 51.

ſum Ericum biennio poſt ab Upſalenſi Archiepiſcopo coronatum, num ſvadente Innocentio, incertum, commemorant annales n). Inter hæc vero tantum abfuit ut archiepiſcopo Lundenſi benevolentiæ ſuæ aliqvid detraheret pontifex, ut potius ad extremum usqve tempus eximia favoris documenta ipſi exhibuerit.

Honorii III, Innocentium excipientis, erga primates Lundenſes animus æqve proſperam, ac qva antea gaviſi erant, augurabatur jurium conſervationem. Ejusdem, qvo imperium ceperat, anni initiis Valerio omniqve Daniæ Sveciæqve clero per litteras ſignificat, ſeſe omnes, qvas Innocentius archiepiſcopo Lundenſi ſua vice commiſiſſet partes o), eidem Andreæ permiſſurum. Ejusmodi in archiepiſcopum Lundenſem favorem eximium ſpirant reliqvæ omnes eodem anno huic miſſæ litteræ, in qvibus partim ei concedit, qvoscunqve ipſi libuiſſet, ex illegitimo matrimonio ſuſceptos, ad ſacram militiam, ut ordinem vocat eccleſiaſticum, aſſumere, dummodo non eſſent de nefando matrimonio geniti p), partim illi ejusqve ſucceſſoribus in perpetuum canonice ſubſtituendis omnia, qvæ circa primatum & imprimis pallium archielecto Upſalenſi tradendum conſtituerant anteceſſores, jura confirmat q).

n) Benzel. l. c. p. 85. cfr. Lagerbring II. p. 308.

o) vid. Diplomatar. No. 9. cfr. de Innocentio dicta p. 82.

p) Porthanus l. c. p. 6.

q) vid. Diplomatar. No. 10. iisdem fere verbis ac Innocentii

Si jam dicta animo repetas, facillime animadvertes primatui Lundensi a temporibus inde Absalonis adeo lætam affulsisse periodum, ejusqve fundamenta juribus in posterum superstruendis adeo firma jacta esse, ut vehementissimo opus esset impetu ad tantum robur evertendum. Levia qvidem initio primatum imperio sese subtrahendi ab Upsalensibus facta erant pericula; illi vero partim prævalebant consilio, partim ea potestate favoreqve pontificis eminebant, ut qvoscunqve conatus repulisse reperiantur. Ubi igitur ab hoc ipso tempore, qvo ad summum fastigium primatum evectum videmus, dubiam ejus incepisse periodum volunt scriptores, rei congruum minime videtur. Et si vel aliqvid, dubii speciem præ se ferens, nobis occurrerit, potius in rationes accuratius inqvirere, qvam tanta jura subito violata temere declarare oportet. Istis vero dubiis pro viribus illustrandis jam me accingo.

17. *Olaus uterqve, posterior Basatömir dictus.*

Veteris archiepiscoporum Upsalensium chronici autoritate pleriqve mirum in modum consentiunt scriptores, Valerium A. 1219 exstinctum fuisse, ejusdemqve chronici fide totidem docent, successorem

III bulla confirmatoria hæc expressa est. Opinio Celsii in Bullar. p. 60. qvasi dubiæ notæ hæc esset bulla, inde omnino venit, qvod eam vacante sede Upsalensi, adeoqve post Valerii mortem, consecratione successoris Olavi Basatömir, datam temere supponit, cui commento ipsa bulla nullam præbet rationem. cfr. Porth. l. c. p. 8.

tandem electum fuisse Olavum, Basatömir dictum, qvem tamen non ante A. 1224 confirmatum volunt annales primiqve ordinis documenta r); unde vulgo deducitur per qvinqve fere annos sedem vacasse. At si bullaria vel litteras Honorii perlustres, non minus qvam sex bullas post mortem Valerii archiepiscopo Upsalensi ab anno inde 1219 ad 1224 scriptas invenies, præter unam Andreæ Lundensi missam Ao. 1221, de pecunia ab Upsalensi archiepiscopo recipienda s). Istarum duæ priores, qvippe eodem qvo Valerius obiit anno missæ, prius scribi poterant, qvam de morte Valerii certior factus sit pontifex, adeoqve de iis non mirabimur; tanto vero magis mirum ducendum, ubi reliqvas videmus bullas a pontifice Upsalensi archiepiscopo scriptas eo temporis spatio, qvó ex unanimi fere scriptorum consensu sedem Upsalensem vacasse licet opinari. Tot dubiis circumventis qvid credere fas erit? scriptores errasse? pontificem delirasse? — Sine cunctatione conjecturarum via ingrediendum est, qvarum tantummodo tres bene admitti possunt: Aut falsum temporis characterem bullæ confirmatoriæ Honorii adscriptum esse: aut omnes a morte inde Valerii ad confir-

r) Honorii III bulla confirmatoria in Vastoyio qvidem characterem habet A. 1223 at minus recte observante Lagerbringio II. p. 438, siqvidem 8vo pontificatus anno, id est Ao. 1224 datam reperimus.

s) Simul in Bullario Cels. p. 57. seqv. reperiuntur.

mationem Olavi Basatömir usqve spurias esse bullas: aut etiam inter Valerium & Olavum Basatömir intermedium fuisse archiepiscopum Upsalensem, cui bullas istas scripserit Honorius.

Primum qvod attinet, Dalinus t) qvidem & Rhyzelius u) bullam, qva Olavum Basatömir confirmat Honorius, Ao. 1221 d. 30 Octobr. datam esse contendunt, qvod si verum esset, multum nos in hisce difficultatibus adjuvaret. At ratione destituta est illorum opinio; exstant enim litteræ Erici regis Sveciæ A. 1224 d. 31 Jul. scriptæ, in qvibus Olavum supra commemoratum non nisi archielectum appellat x). Genuinam itaqve Honorii confirmationem credere jubemur Ao. 1224 d. 29 Jan. isti archiepiscopo missam, qvæ bullariis omnibus absqve falsitatis nota inserta reperitur y). Deinde spurias esse omnes, qvas intermedio tempore ad archiepiscopum Upsalensem, vel de hoc ad primatem Lundensem, litteras fertur scripsisse Honorius, temerarium foret statuere; nil enim præ se ferunt litteræ illæ contrarium vel opinionem falsitatis movens. Una deniqve reliqva est conjectura: intermedium fortasse a scriptoribus neglectum fuisse archiepiscopum; — qvod qvidem, si vetus archiepiscoporum Upsalensium chro-

t) Svearikes Histor. II. p. 117.
u) Episcoposcopia I. p. 33.
x) cfr. Lagerbring II. p. 439.
y) vid. Celsii Bullar. p. 60.

nicon consulatur, negandum, unde qvoqve celeberrimi negarunt scriptores. At in re tam abtrusa veritas magis qvam autoritas qværenda. Solus omnium Peringskioldius z) rem commemorat conjecturæ huic nostræ convenientem. Narrat nempe: post Valerium electum esse pallioqve dato confirmatum Olavum qvendam, qvem IIdum nominat, Ao. 1220, cujus litteras qvasdam, subscriptas: "O. Superni Regis Miseracione Sacrosanctæ Upsalensis ecclesiæ archiepiscopus" & qvidem Ao. 1220 aut 1223, reservatas esse contendit. Hunc vero Olavum Ao. 1224 d. 19 Mart. obiisse monet. Circa tempus, qvo obiit Olavus, Peringskiöldium errasse est in promptu, qvippe cui repugnet confirmatio Olavi Basatömir data d. 29 Jan. anni ejusdem, non tamen ideo justum, ceterum qvod attinet, erroris incusare illius narrationem, qvam qvidem Lagerbringius respuit qvia hac de re tacent monumenta antiqviora a). Eqvidem, ea qva par est, inter vetera monumenta circumspectione versatus, fidem autoritatemqve antiqviorum lædere nollem; cum vero antiqviores errori obnoxios credam, eosdemqve si ob nomina eadem erraverint, excusem, nullam aliam litteras Honorii ab A. 1220 ad A. usqve 1224 scriptas saniori historiæ interpretationi conciliandi rationem video, qvam hanc Peringskioldii Olavum, inter Valerium & Olavum Basatömir

z) Monument. Ulleraker. p. 131.
a) Lagerbring II. p. 440.

medium electum confirmatumqve archiepiscopum Upsalensem declarare. Huic meæ sententiæ haud parum ponderis accedit, primum si cogitetur qvinqvenni ecclesiæ Upsalensis vacationi Honorium vix indulturum fuisse, deinde si animadvertatur, qvomodo in bulla, qva confirmatur Olavus Basatömir, innui videtur, Upsaliam non diu "propter indomitæ gentis induritiem", præsule carere potuisse. In gente vero indomita qvanta mala movisset qvinqvennis tanti muneris vacatio!

Plura hac de re disputare supersedeo, atqve, si vel alter has melius illustrabit difficultates, non tamen operæ qvaliscunqve meæ me pigebit.

Istum, si exstiterit, Olavum ab Andrea nostro pallio indutum fuisse procul dubio esse videtur. Qvomodo vero cum consecratione successoris sese habuerit est qvod qværatur. Defuncti nimirum in locum Strengnensem qvendam episcopum, Olavum Basatömir dictum clerus cum populo sibi exoptaverat, rege, cujus ex cognatis fuit, connivente. Qvi cum electus esset, præpositus qvidam Ganfredus, qvi pallium peteret, Romam dicitur ablegatus, qvo, confirmatione cum pallio impetrata, domum reverso, Olavus ille consecratur Upsalensis archiepiscopus. Qvisnam vero fuerit ille Ganfredus? qva ex parte Romam ablegatus sit? Qvis deniqve Olavum Basatömir consecraverit? totidem sunt disputationum themata, tanto diligentius tractanda, qvanto ex iis

ſibi derivaſſe viſi ſunt pleriqve rerum Svecicarum ſcriptores, primatum Lundenſem ab hoc inde tempore vacillaſſe. Solus in hac diſputatione, ut in ceteris multis æqvum moderatumqve ſe præbuit Lagerbringius.

Omnis vero iſta de Ganfredo, ejusqve Romam ablegatione diſputatio ex Huitfeldio originem duxit, qvi narrat b), qvendam hujus nominis præpoſitum Ao. 1219 Romæ fuiſſe, qvi Olavo Baſatömir pallium expeteret. Hinc Meſſenius c), deinde eum ſecutus Dalin d), tum vero ceteri plures fabulam contexuerunt, Ganfredum iſtum, ſive Upſalenſem, ſive Hagebyenſem præpoſitum, a parte Olavi Baſatömir Upſalenſis archielecti Romam miſſum fuiſſe, ut pallio & confirmatione a pontifice ipſo impetrato, a deteſtabili, ut ajunt e), inauguratione Lundenſi liberari contingeret. Primo vero, qvem Huitfeldius refert, annus haud pauca dubia movet, deinde hujus ratiocinii eſt inſons, dum modo commemorat, Ganfredum, ſive Upſalenſis, ſive Hagebyenſis fuerit præpoſitus haud referens, tunc temporis certo negotio Romæ commoraſſe; haud vero dicit ille, miſſum fuiſſe a parte Olavi vel iſto conſilio. Unde igitur iſta illorum aſſeveratio? Æqvo jure a parte primatis

b) II. p. 186.
c) Scond. illuſtrat. II. p. 24.
d) l. c.
e) Georgi Diſſert. de primatu Lundenſi p. 8.

Lundensis mitti potuit Ganfredus ille. Et qvid mirum, nuncium Romam ablegatum pallii petendi causa? Juxta ipsam Innocentii III constitutionem mos obtinuerat, ut archielectus Upsalensis pariter ac primas Lundensis pallii causa legatos Romam ablegaret. A sede Lundensi nuncium non missum fuisse, qvis affirmare audet?

Nil est præterea, qvod Olavi prodat consilium imperio Lundensium sese subtrahendi, qvod qvoqve Honorius, in factis sibi satis constans, post tot benevolentiæ documenta sedi Lundensi declarata, qvin jurium iteratam solennemqve confirmationem, neutiqvam tulisset. Jam qvod ipsam attinet consecrationem, solus Rhyzelius f), at argumentis destitutus, tradit, Olavum Basatömir a Benedicto juniori episcopo Scarensi consecratum fuisse. Nulla vero cum adsit ratio, cur Olavum ab episcopo Scarensi nec a Lundensi archiepiscopo consecratum judicemus, tantum abest ut Rhyzelio in re tam insolita absqve teste fidem habeam, ut potius censeam, hoc munere perfunctum fuisse Andreæ Sunonis successorem, de qvo, cum variæ hactenus fuerint sententiæ, pauca dicenda sunt.

Andreas Sunonis ætate devectus lepraqve laborans, cum a provincia administranda ipse impediretur, sui loco aliqvamdiu substituerat Petrum qvendam, capituli Lundensis præpositum, sperans fore

f) l. c.

ut lepra aliqvando ſanata, ipſe munere iterum fungeretur. Mox vero pontifici indicans, graviori, qvam ut ſanationem unqvam ſperaret, ſeſe morbo teneri, inſtanter petiit, ut munere ſibi jam dudum moleſto, levaretur, obtinuitqve. Sede igitur vacante ad novum archiepiſcopum eligendum ſeſe ſuccingunt canonici Lundenſes, qvorum de Petro, Andreæ hactenus ſubſtituto, ſuffragia conſentiunt. Jam multis cum litteris & egregio ipſius Andreæ teſtimonio, Petro bene cupientis, Romam adeunt duo nuncii confirmationem palliumqve petituri. Pontifex, re accepta, electionem Petri ob "inordinatum ejus proceſſum" ut ipſæ litteræ audiunt, irritam declarat; attamen, pro egregiis teſtimoniis, eccleſiæqve vacantis habita ratione, ipſum muneri præficit, nunciosqve cum confirmatione pallioqve dimittit, litteras Ao. 1224 d. 11 Jan. datas, Petro electo g), nec non ſeni Andreæ una cum Roſkildenſi epiſcopo, qvi illum pallio ornarent h), tradendas ſimul mittens. Unde, qvod recte monuit Porthanus, qvoqve apparet, Petrum non modo vicarium ægri archiepiſcopi Andreæ, qvod ſuſpicatus eſt Lagerbring i), ſed vere confirmatum, conſecratum pallioqve ornatum fuiſſe, qvam ſententiam præterea confirmat Magnus Matthiæ k).

g) vid. Diplomatar. No. 11.
h) vid. Porthan. l. c. p. 15.
i) II. p. 437.
k) l. c. p. 66.

Jam non adeo difficile erit conſtituere, a qvo conſecratus ſit Olavus Baſatömir. Archiepiſcopum prius Petrum confirmaverat Honorius, qvam Olavo miſit confirmationem; conſtitutus vero confirmatusqve cur in Olavo conſecrando ſuo non jure uteretur Petrus? Qvod qvoqve factum eſſe credere jubemur, donec contrarium idoneis evincatur argumentis. Minime qvidem me præterit res illa nova, Honorium litteris, qvibus Olavi Baſatömir electionem confirmat, inſcripſiſſe: "Epiſcopo Scarenſi & electo Lundenſi" l), adeoqve non tantum illum huic prætuliſſe, verum etiam hunc, jam archiepiſcopum confirmatum, nonniſi electum habuiſſe. Et Lagerbringius & Porthanus hoc mirati obſervarunt; & fateor lubenter me cum iis hoc intelligere haud potuiſſe, niſi forte hæc fuerit ratio, qvod Honorius, litteris, qvibus Petrum confirmaverat, paucis modo diebus antea ſcriptis, exiſtimaverit, Petrum vix intra tam breve temporis ſpatium inauguratum fuiſſe, adeoqve indecens duxerit eum archiepiſcopum appellare, vel alteri, jam dudum epiſcopo, anteponere. Conſtat enim, neminem unqvam electum prius epiſcopi vel archiepiſcopi nomine ornatum fuiſſe, qvam conſecratione facta muneri eſſet præfectus.

l) vid. Celſii Bullar. p. 60.

18. *Jarlerus. Uffo.*

Non diu ſedit Petrus Lundenſis, qvippe qvem eodem qvo anteceſſor Andreas Sunonis, in inſula Ivö otio degens, anno ſc. 1228 defunctum eſſe commemorant annales m). Cujus in locum cum capitulum Lundenſe anno ſeqventi eligerat Uffonem qvendam, nulla tamen electionem prius ratam fecit conſecratio, qvam proximo anno, id agente Cardinali Ottone, legato pontificis Gregorii IX n), qvi Ao. 1227 poſt obitum Honorii ſedem Romanam occupaverat. Qvatuor fere annos ſederat Uffo, cum obitu Olavi Baſatömir vacaret ſedes Upſalenſis. De novo archiepiſcopo eligendo ita diu dubii hæſerunt Upſalenſes, ut duo fere præterlapſi ſint anni, anteqvam plurimorum ſuffragiis eligeretur Jarlerus, eodem tamen anno confirmatus conſecratusqve. Ad noſtra usqve tempora adeo vagum fuit ſcriptorum de hujus conſecratione judicium, ut pleriqve non dubitaverint ex hiſce obſcuris illam derivare ſententiam, qvod in hoc abrogatum ſit jus primatus Lundenſis o). Materiam hujus dubitationis præbuit monumentum aliqvod vetuſtatis, Chronicon nimirum epiſcoporum Lincopenſium, ubi de Laurentio, Benedicti in epiſcopatu Lincopenſi ſucceſſore, talia leguntur p):

"Jerlerom erckebiſcop wigde han"

m) lib. dat. Lund. in Lagerbringii mon. Scan. P. II, p. 126.
n) Magnus Matthiæ l. c. p. 68.
o) Georgi l. c. p. 8. ſeqv.
p) Benzel. monum. vet. eccleſ. Sveogoth. p. 119.

unde, Jarlerum a Laurentio Lincopensi consecratum fuisse, communis indubiaqve facta est opinio. Contra hæc dubia movere jam coeperat Lagerbringius, non tantum qvia istud chronicon solum esset hujus rei documentum, sed etiam qvia constat, Benedictum Laurentii Lincopensis successorem primum Ao. 1237 d. 4 Jan. obiisse q). Qvibus jam hoc majus accedit, qvod inter Bullas pontificiales nostro tempore Stockholmiam Roma advectas ipsa Gregorii IX reperiatur Bulla, qvam & Celsius r) olim & Benzelius s) tantopere desiderasse videntur, archiepiscopo Lundensi scripta Ao. 1236 d. 17 Dec. t), qva

q) Chronicon Vadstenense Celsii p. 5. cfr. Lagerbring II. p. 770. Episcopum Lincopensem, si aliqvas hac in re partes tenuerit, consecrationi modo affuisse suspicatur Lagerbring, & qvidem merito, qvoniam constat archielectos Upsalenses, ubi consecrandi Lundam proficiscerentur unum vel plures suffraganeorum secum duxisse. vid. Lagerbring l. c. p. 745. De Laurentio certe, nondum episcopo, sermo esse non potest.

r) Bullar. p. 67.

s) Benzel. l. c. p. 197.

t) In accessione Bullarii Celsiani, a celeb. Porthano edita p. 30. ubi hæc bulla primum recensetur, annus ei adscriptus est 1235, qvod tamen nil, nisi mendam typographi, esse suspicor, qvoniam non solum vetera documenta, v. c. Chronicon Vadstenense Celsii & chronicon archiepisc. Upsal. Benzelii annum habent 1236, verum etiam catalogus Celsii Mss., qvi mihi ad manus est, easdem recensens bullas, qvas edere suscepit Porthanus, cum istis documentis qvoad annum convenit.

edocemur, Uffonem, Lundenſem primatem, per canonicos duos Lundenſes ad pontificem miſſos pallium pro archielecto Upſalenſi Jarlero rogaſſe, qvod qvoqve illius precibus adductus ipſi transmiſit pontifex, archielecto dicto, "ut qvi Lundenſi jure primatis ſubſit" asſignandum. Si jam tali modo dubio ulteriori, qvin ab Uffone pallium receperit Jarlerus, nullus ulterior relinqvatur locus, neſcio cur dubitemus, num qvoqve ex prædeceſſorum more ab archiepiſcopo Lundenſi conſecratus ſit. Reliqva ſi perſeqvaris, certe reperies, archielectos Upſalenſes ſemper minus de conſecratione a Lundenſibus recipienda, qvam de pallio ſibi ab iisdem induendo dubitaſſe. Poſterius pasſi prius minoris duxerunt momenti.

Uffonem præterea intuearis velim, ſtrenuum præpotentemqve hierarchiæ fautorem, qvi non modo rebelles, inter qvos degeret, clericos compeſcuit u), verum etiam, tribus brevi tempore conciliis celebratis, eccleſiæ ſuæ libertatem contra ipſum Daniæ regem vindicavit x): ille, inqvam, in omnibus ſemper conſtans tenaxqve propoſiti, vix æqvo animo tuliſſet, ſi ſe invito alia in cathedrali inaugurаretur archielectus Upſalenſis; certe intercesſiſſet, de qvo tamen nullibi occurrit mentio.

u) vid. Porthan. l. c. p. 27.
x) cfr. Pontoppid. I. p. 555.

Qva Uffonem noſtrum benevolentia proſecutum eſſe Gregorium, ipſius haud paucæ litteræ y) luculenter teſtantur, eadem qvoqve ſucceſſor Innocentius IV eum ejusqve jura tuitus fuiſſe videtur, cujus rei ſat erit unum proferre exemplum. Litteris ad univerſum clerum principesqve Norvegiæ Sveciæqve Ao. 1246 ſcriptis z) ſignificaverat Innocentius, ſeſe epiſcopum Sabinenſem Vilhelmum, legati Apoſtolici autoritate ornatum, in illa regna miſſurum eſſe, debita reverentia obſeqvioqve excipiendum. Ex Anglia Norvegiam transmiſit Vilhelmus ille, ibiqve coronato rege Haqvino a), circa initia anni 1248 Sveciam adiit. Pari qvoniam fuerit, ut audiunt ipſius verba apud Torfæum b), auctoritate, ac ſi ipſe præſens eſſet pontifex, inſtructus, prava qvædam in melius mutaturus concilium mox convocat celebratqve Skenningenſe c); cujus cum plurima ſtatuta confirmaſſet pontifex d), per litteras Ao. 1250 d. 8 Dec. datas e) conſtitutionis hujus ſervandæ primati Lundenſi curam committit, ita ut qvoscunqve ejusdem contemtores eccleſiaſtica cenſura notandi autoritate gauderet.

y) vid. litter. Gregorii IX apud Porthanum.

z) Porthan. p. 38.

a) Tormod. Torfæus IV c. 34. p. 246. ſeqv.

b) l. c.

c) Brevis hujus concilii hiſtoria a celeb. Georgi edita eſt Upſaliæ 1761. 4.

d) Bullar. Celſii p. 74.

e) ibid.

Hisce cognitis, qvis primates Lundenses juribus jam exutos fuisse contendat?

19. *Jacobus Erlandi. Frater Laurentius. Fulco.*

Senio & paralysi laborans a pontifice Alexandro IV missionem petierat Jarlerus Upsalensis, qva concessa, litteris qvoqve ad episcopum Strengnensem, abbatem Alvastrensem, & præpositum Lincopensem scriptis Ao. 1256 d. 22 Dec. f) imperavit pontifex honestam ex bonis archiepiscopalibus provisionem ei assignari, ex qva ad decessum usqve, qvi Ao. 1257 evenit g), caperet fructus. Si non anno eodem, qvo resignaverat Jarlerus, certe tamen seqventi, qvi ejus loco substitueretur, electus est, ex ordine minoritarum Frater qvidam Laurentius. Defunctus jam erat Lundensium Uffo, cui rege invito sufficitur terribilis ille regum hostis, Jacobus Erlandi. Coram hac, qvo consecrationem & pallium im-

f) Vastovius, & post hunc Celsius Bullar. p. 76. habent A. 1255, nec juste ut observat Lagerbring II p. 774, qvoniam litteræ Alexandr. scriptæ sunt anno pontificatus secundo, hoc est 1256.

g) Ita Chronicon Vadstenense. Alia vetustatis documenta, ut chron. vet. archiep. Upsal. & a Scheffero & Benzelio editum, habent Ao. 1255, qvod vero minus justum esse indicant partim duæ pontificis litteræ, & hoc ipso anno & seqventi exeunte Jarlero scriptæ, vid. Cels. Bullar. p. 76 & 77, partim litteræ superiores Ao. 1256 datæ, qvæ sana mente nunqvam scribi potuissent, si supra annum jam decessisset Jarlerus.

petraret, comparere debuit Frater Laurentius, neqve comparere dubitavit h). Qvanto igitur minus difficilem in juribus primatis Lundensis agnoscendis se præbuisse videmus hunc archiepiscopum, tanto magis nobis videbitur insolitum, ubi aliqvot post annos, hoc nimirum defuncto, nonnullos scriptores clamare audiamus: en finem primatus Lundensis i)! — In istam sane rem diligentius nobis inqvirendum, nec temere istis clamoribus assentiendum.

Fratre Laurentio Ao. 1267 exstincto k) ecclesia vacat, & qvod mireris, octo circiter annos; cujus rei constat hanc fuisse causam. In successore Laurentii eligendo haudqvaqvam convenire poterat capitulum Upsalense l). Ut igitur res conficeretur, ad Clementem IV, tunc temporis pontificem, ecclesiæ providendum devolvunt, qvi mox Sacherum qvendam, ecclesiæ Lundensis præpositum, provinciæ præ-

h) Benzel. in mon. vet. eccles. Sveogoth. p. 199. Peringskiold. monum. Ullerak. p. 134 & Rhyz. I. p. 34. eum Ao. 1256, nec juste, consecratum fuisse memorant.

i) Pontopp. I. p. 738. & Georgi de primatu p. 9. contendunt, at absqve omni teste Gregorium X in Fulcone archiepiscopo Upsalensi constituendo jussisse, pallium, qvo induerentur Upsalenses, in posterum non Lundæ, sed Arosiæ esse deponendum.

k) Chron. arch. Upsal. p. 20.

l) A Jarleri inde tempore capitulum suum habuit ecclesia Upsalensis, vid. chron. arch. Upsal. p. 19. Si vero ante hoc tempus in litteris pontificialibus de capitulo Upsalensi legeris, haud mirator! — inter levissima curiæ Romanæ peccata hoc numerabis.

ficiendum duxit. Sacherus vero, qva de causa incertum, tanto honore minime lætatus, per litteras pontifici missas dignitatem recusat. Jam prius decesserat Clemens qvam litteræ illæ Romam attigerant, &, qvoniam post mortem ejus duos fere per annos vacaret sedes Romana, res ad Gregorium usqve X pontificem constitutum qvievit. Demum litterarum Sacheri recordatum est, qvas cum cognovisset Gregorius, Lugduni tunc temporis concilii celebrandi causa commoratus Ao. 1274, Fulconem qvendam, archidiaconum ecclesiæ Upsalensis m), litterarum scientia, morum sanctitate & prudentia commendabilem, ecclesiæ prædictæ, litteris scriptis d. 17 Aug. e. a. constituit archiepiscopum n). Jam vero sub initio anni ejusdem tumultuosus ille Lundensis archiepiscopus Jacobus Erlandi moritur o), qva de re certior factus pontifex, simulqve recordatus, ecclesiam Lundensem præsule, qvi consecrationem perficeret, esse destitutam, ne, dum novus Lundæ crearetur archiepiscopus, consecratio Fulconis protraheretur, ejusdem cognato Arosiensi episcopo comittit, ut duobus vel tribus archiepiscopis sibi adscitis, electo Upsa-

m) Num a capitulo ipso Upsalensi Fulco electus pontificis tantum confirmationem fuerit adeptus, an a pontifice electionem simul cum confirmatione reportaverit, non constat. cfr. Lagerbring. II. p. 773.

n) cfr. litteras Gregorii in bullar. Celsii p. 87. cfr. chron. archiep. Upsal. p. 21.

o) die scilicet 18 Febr. vid. Magnus Matthiæ p. 75.

lensi, consecratione peracto, pallium conferat, simulqve juramentum ab eo recipiat, "talibus vero, ut verba bullæ habent, de Lundensis ecclesiæ prærogativis, cui Upsalensis jure primatiæ subesse dicitur, nihil derogantibus" p).

Hic tenor est rei, qvæ tot clamoribus ansam dedit. At ne injuste agam, unde ortum duxerit iste scriptorum error, brevi dicam. Litteræ reperiuntur Gregorii X Fulconi archiepiscopo scriptæ, anno apposito 1273 q), qvæ, si genuina esset temporis nota, novam omnino faciem rei vindicaret, tum enim nondum occiderat primas Lundensis, cujus jura, si munus consecrandi aliis traderetur, certissime læsa esse viderentur. At Vastovio, cui illæ debentur litteræ, haud raro accidit, ut in annis sedis pontificum Romanorum computandis summæ incuriæ atqve negligentiæ possit incusari; certo enim certius, ut Benzelii utar verbis, istæ Gregorii litteræ, qvibus Fulco confirmatur, Ao. 1274, cum Lugduni moraretur pontifex, sunt exaratæ r).

Pallium, qvo novus decoraretur archielectus Upsalensis, per Rogerum qvendam, Canonicum Upsalensem, Roma transmissum est, unde non leve pondus accedit illorum opinioni, qvi malunt Fulco-

p) Bullar. Cels. l. c.

q) ibid. p. 85.

r) Benzel. l. c. p. 200. cfr. Lagerbring. II p. 772. seqv. & Schefferus in chronic. archiep. Upsal. p. 52. seqv.

nem a capitulo Upsalensi, nec a pontifice electum fuisse. Pallio vero episcopo Arosiensi commisso, Fulco ab hoc, & qvidem in festo pentecostes Ao. 1235, muneri solenniter præficitur s).

Re adeo examinata facile patebit, fieri potuisse, qvod alias mirum sane videretur, archiepiscopum Upsalensem a suffraganeo suo & consecrationem & pallium accepisse, juribus sedis primariæ Lundensis ceterum illæsis. Reliqvos porro si perseqvaris longa serie archiepiscopos Upsalenses, haud facile reperies consecrationem a primate Lundensi respuisse. De pallio in posterum maxime agebatur. At qvoniam ab hoc inde tempore non pleno primatus jure Lundenses semper usos fuisse docet historia, faustæ primatus Lundensis periodo heic finem imponere fas reiqve naturæ congruum duxi.

s) vid. Diplomatar. No. 12. cfr. Benzel. l. c.

Cap. IV.

Dubia primatus Lundensis.

Ao. 1278-1353.

20. *Ratio inter curiam Romanam & sedem Lundensem hac periodo intercedens.*

Effluxerat jam aurea primatus Lundensis ætas, qvantoqve magis ab ævo Innocentii III Honoriiqve III discederetur, tanto qvoqve minus pontificibus videtur fuisse curæ cordiqve. Nunqvam sedi Romanæ fuit regula certa: consilia toties, qvoties pontifices mutavit, illorum vero ex nutu omnium totius orbis christiani ecclesiarum fata pendebant. Pontifice ambitioso ad summum usqve fastigium evectæ sunt: segni atqve inerti mole ipsa depressæ ruebant. Alia curabatur, alia negligebatur ecclesia, prout vel hoc vel istud vellent pontifices. Ambitioni ut satisfaceret primatus condidit Innocentius III, disciplinam ut servaret eosdem confirmavit tuitusqve est Honorius successor: utriqve vero magna obversabantur, ut nempe orbis terrarum imperio gavisi nihil non haberent sibi subjectum. Hoc ut impetrarent strenuis ex clero adjutoribus indigebant, eisdemqve honores summamqve potestatem decernendo suos fecerant. Mutata est posthinc rerum facies. Omnibus curiæ Ro-

manæ vindicatis, qvi eadem vindicaverant præsules negligi qvoqve coeperunt, qvippe qvorum jam minus desideraretur auxilium. Jura ipsis concessa, ne antecessorum instituta violare viderentur, tuiti sunt qvidem pontifices, at tam lente frigideqve, ut temporis successu, qvænam essent ista jura vix amplius memoria haberent. Qvo evenit, ut qvi antea priores partes tenuissent ecclesiarum præsules, nunc pro ignavia pontificum patrocinio orbati, aut proprio marte jura defendere, aut, si vires deessent, sese de gradu dejectos ferre cogerentur.

Talia qvoqve passus est primatus Lundensis. Ad illud usqve, qvo nos eum persecuti sumus, temporis momentum, suum qvidem decus retinuerat, at si attente observaveris, nec semper pari successu, nec semper æqvo pontificum studio usus. Postrema tempora jam declinationem futuram augurari videbantur. Mox vero institutorum Alexandri III ejusqve successorum fere oblitos, in juribus primatus Lundensis tuendis, adeo frigide versatos fuisse pontifices videbis, ut optime sese agere arbitrati sint, si in juribus non aperte violandis acqvievissent, ceterum ipsis primatibus pro dignitate certandi cura relicta. Hinc callidi inter sedem Lundensem atqve Upsalensem lites exortas, sæpius in medio relinqvunt, qvis victoriam reportaret incurii, dummodi ipsi, utriqve parti sese favere simulantes, utramqve sibi facerent servam.

Primatum Lundensem in concilio Basiliensi, & qvidem procurante Nicolao Ragvaldo, abrogatum fuisse, asserunt Sveci. Falso. Nunqvam dicto, facto qvidem, abrogatus est. Si vero abrogatum dixerint ab eo inde tempore, qvo non amplius pleno autoritatis jure in Upsalensibus nempe archiepiscopis consecrandis pallioqve ornandis uti licuerit primati Lundensi, minime opus erit tempora Nicolai Ragvaldi opperiri, qvippe qvod jam ab anno inde 1353 Svecos haud admisisse reperimus. Cujus rei habita ratione, hunc ipsum annum periodi, qvam jam illustrandam aggredior, terminum constitui.

21. *Trugotkus Tostani. Jacobus Israelis.*

Ao. 1276 exstinctus est, qvi post Jacobum Erlandi fatis functum Lundensis creatus fuerat archiepiscopus, ipse Erlandus, at nunqvam consecratus palliove donatus t). Convenerant capitulares Lundenses in eligendo post eum qvendam, ecclesiæ suæ canonicum, Trugothum Tostani, cui mox electo imperatum est, ut ipsam curiam Romanam accederet, consecrationem cum pallio ibidem accepturus. Res prorsus insolita, cujus tamen causa duplex hæc videtur fuisse: primo, pontifices sua abs re haud alienum fore duxisse, si virum, cui tanta committeretur provincia, ipsi cognovissent, cognitoqve optima hierar-

t) Lib. dat. eccles. Lund. in Lagerbring. monum. Scan. p. 143.

chiæ firmandæ consilia insusurassent, deinde, idqve præcipuum, eos fisco suo reditus facere voluisse, adeoqve archiepiscopo Lundensi non nisi 4000 floren. aureis solutis tantam, qvantam primatis dignitatem haberent, decernere voluisse. Isto consilio Trugothus Romam vocatus, necessitati cedens obseqvii hoc retulit præmium, ut primus omnium archiepiscoporum Lundensium ex pontificis ipsius ore manuqve consecrationem palliumqve reciperet u).

Post ejus ex Roma reditum, morte Fulconis vacavit sedes Upsalensis. Sufficitur a capitulo Jacobus Israelis x). Consecrationem a primate Lundensi accipiendam hunc respuisse fortasse suspicaberis. At minime. Muneri optatus, mox comite Henrico, episcopo Lincopensi, pro consecratione obtinenda Lundam accessit y). A Trugotho tamen consecratus pallium accipere noluit. Duos nempe Romam miserat nuncios, qvi ab ipso pontifice pallium sibi tradi postularent. Hos totidem a parte primatis Lundensis secuti erant. Jam coram judice callidissimo Romæ causa agebatur. Lundenses contendunt, autoritate indulti apostolici jamdudum observatum fuisse, ut pallium primati Lundensi missum per hunc Upsa-

u) Chronic. dan. in Langebeckii script. rer. dan. T. VI. p. 219. Magnus Matth. p. 82. Pontoppid. I. p. 560.

x) Audit in vet. chron. Jacobus Erlandi; apud Ericum Olai vero Jacobus Israelis, qvod verum illius nomen fuisse ex sigillo cognoscitur. vid. Peringskiold. l. c. p. 136.

y) vid. Lagerbring. II. p. 749.

lensi traderetur, contra vero Upsalenses, illud post hominum memoriam obtinuisse negant. Jam judex Nicolaus III hanc fert sententiam: pallium per illos ex Svecia nuncios Lincopensi atqve Roskildensi episcopis esse assignandum, electoqve Upsalensi, juramento fidei prius dato, tradendum; cautis vero, ne hinc præjudicium Lundensi vel novum jus Upsalensi arcesseretur z). Itaqve, pontifice ita jubente, a dictis episcopis archiepiscopali muneri præficitur Ao. 1278 Jacobus Israelis. Sunt qvidem qvi asseverant eum a primate Lundensi consecratum pallioqve ornatum fuisse a), at temere, qvippe cujus contrarium nos docent ipsæ pontificis litteræ.

Ineptissimum vero Upsalensium argumentum si intuearis, certe obstupescas. Ne minimo qvidem, si historiam perlustraveris, certo argumento ratum habetur, per alium qvam Lundensem primatem Upsalensibus pallium unqvam hactenus traditum fuisse, Fulconem si exceperis, ab ævo Israelis non adeo remotum, ut ex qvo antecessores pallium accepissent oblivioni traderetur. Nec tamen fastidierunt Upsalenses illi affirmare, tale qvid post hominum memoriam nunqvam accidisse, nec ipse pontifex dubitavit assertioni huic ridiculæ sententiam æqve injustam superstruere. Versutum ingenium ex additamento bullæ satis cognoscitur.

z) vid. Diplomatar. No. 13.
a) Peringskiold. l. c. & Rhyz. l. c. I. p. 35.

22. *Magnus Boeti.*

Simpliciorem ſeſe geſſit pontifex Honorius IV. Cum enim defuncti Jacobi Upſalenſis loco plurimorum conſenſu archiepiſcopali muneri electus eſſet Johannes Adolphi b), eccleſiæ Upſalenſis archidiaconus, hic vero ſuis contentus confirmationem renuens Martino IV pontifici, Orvieti tum commoranti, dignitatem ultro reddidiſſet c), haud tot difficultates fertur moviſſe Magnus Boeti, vir nobili loco ortus d), qvem alteri ſubſtituit capitulum Upſalenſe, e). Qvin, ſi Rhyzelio f) fides habenda, ita avide dignitatem ſibi oblatam arripuit, ut ne pontificis qvidem confirmationem exſpectans ad conſecrationem advolaret. Moris jam factum erat, qvod ſupra docuimus, ut archielecti, qvotiescunqve conſecrandi Lundam adirent, unum vel plures ſuffraganeorum ſecum ducerent itineris comites, ita majorem celebritatem rei conciliaturi. Hoc conſilio Lincopenſem epiſcopum rogaverat Magnus archielectus ſeſe ut comitaretur; ille vero ne præjudicium eccleſiæ ſuæ hoc modo crearetur veritus, qvoniam archielecto Jacobo idem antea præſtitiſſet anteceſſor Henricus, non prius votis Magni

b) Sic eum vocat Ericus Olai; in chron. vet. arch. Upſal. Odolphi vocatur.

c) Chron. vet. arch. Upſ. p. 43. cfr. Lagerbring II. p. 777. Rhyz. I. p. 36.

d) Peringſkiold. l. c. p. 138.

e) Chron. vet. arch. Upſal. l. c.

f) Rhyzel. l. c.

sese accommodavit, qvam hic capitulo Upsalensi litteris solenniter declarasset: Lincopensem episcopum ad talem comitatum nullo modo teneri g). De qvo cum inter utrumqve convenisset, Lundam cursus dirigitur. Sedit tunc ibidem Johannes Droosius, Trugothi ab Ao. inde 1282 successor. Ab hoc consecrationem recepit Magnus Boeti. Qvo peracto, more majorum Romam nuncium suum ablegat primas Lundensis ad pallium arcessendum, qvem a parte archielecti secutus est alter qvidam ecclesiæ Upsalensis clericus. — Qvi cum Romam venissent, nec convenire potuissent utri daretur pallium, primati Lundensi an archielecto Upsalensi, ad pontificem perducti Lundensis ille asserit: vi constitutionum sedis apostolicæ, juriumqve Lundensis primatus primati Lundensi pallium assignandum esse, ab eodem Lundensi archielecto post consecrationem induendum. Upsalensis vero pro omni argumento simpliciter negat, morem istum unqvam fuisse servatum. Hisce contrariis ita in angustias redactus est, qvi tunc temporis Romæ sedebat, Honorius, cui fortasse primatus Lundensis, jura certe & instituta, ignota fuerant, ut antecessorum constitutiones perlustrare coeperit, alterutri ne injurius videretur. Qvo facto ex regi-

g) Litteræ Magni Boeti reperiuntur apud Lagerbring. II p. 749.

ſtro Gregorii IX comperire ipſi contigit primatem Lundenſem re vera hoc jure uſum fuiſſe. Hoc vero comperto, audet qvidem eosdem per nuncios litteris adjunctis h) primati Lundenſi transmittere pallium Upſalenſi archielecto aſſignandum, attamen, num recte ageret, necne, adhuc dubius, illam litteris cautelam admovet, "neqve per hoc primati Lundenſi vel ejus eccleſiæ novam acqviri jus, neqve Upſalenſi in perſecutione ſui juris, ſi qvid circa præmiſſa ſibi competat, qvoad petitionem in aliqvo derogari." Lite adeo Romæ dijudicata, domum redeunt legati pallium ſecum ferentes, inqve manibus archiepiſcopi Lundenſis deponunt. Magnus Boeti vero ſive ſibi indignum reputans, ſive ſuorum contumeliam veritus, incertum, a Lundenſi archiepiſcopo pallium admittere noluit, inqve conſilio ſuſcepto ad obitum usqve permanſit i).

Hiſtoriam longius haud perſecuti ſunt nec perſeqvi potuere ſcriptores. Nobis vero plura videre contigit. In catalogo videlicet Mſſ. Celſii recenſetur Honorii IV Bulla hactenus inedita, Romæ Ao. 1286 d. 18 Maji epiſcopis Roſkildenſi atqve Othinienſi ſcripta, qva hiſce a pontifice injungitur, ut archielecto Upſalenſi pallium induerent, ſi ab hoc perficiendo impediretur archiepiſcopus Lundenſis.

h) ſcriptis d. 18 Maji Ao. 1285. vid. Diplomatar. No. 14.
i) Chronic. vet. arch. Upſal. p. 43. cfr. Lagerbring. II. p. 777.

Qvænam hujus epiſtolæ ſcribendæ fuerit ratio, haud facile dixerim, at inter conjecturas, qvarum plurimas iſta bulla movet, hæc mihi maxime arridet: Johannem Drooſium graviter ægrotantem hoc a pontifice expetiviſſe, ne ſuo morbo cui epiſcoporum Sveciæ Upſalenſi archielecto pallium donare contingeret. Haud tamen inficias ibo aliam qvoqve mihi ortam eſſe, & qvidem ob mirum temporis conſenſum, qvo exaratæ ſunt & hæ litteræ & illæ priores ad primatem Lundenſem Ao. 1285 ſignatæ, ſuſpicionem, fieri ſcilicet potuiſſe, ut, anno poſterioris bullæ prave notato, utraqve ſimul fuerit ſcripta, nec alia mente Honorium epiſcopis dictis hoc negotium demandaſſe, qvam ut cuiqve impedimento, qvo minus pallio indueretur Magnus Boeti, obviam iret. Utcunqve vero fuerit, produnt tamen annales Magnum Boeti pallium qvalicunqve modo accipiendum reſpuiſſe, & Ao. 1289 absqve pallio obiiſſe.

23. *Turbæ.*

Turbæ am incipiunt, jam fulmina vibrant. Summo jam dudum ſtudio id egerant Upſalenſes, ut Lundenſi jugo demum excuſſo libertatem eccleſiæ vindicarent. Et ſi vel non omnino conaminibus illorum ſucceſſus defuiſſet, nondum tamen voto erant potiti; atqve poteſtatem adhuc retinuerat primas Lundenſis, qvam deſtruere tanto foret difficilius,

qvanto cordatius in provincia tuenda versaretur Johannes Grand, iste omnium terror k). Inter hæc discrimina ingratissimum qvid Upsalensibus accidit.

Bovo qvidam episcopus Vexionensis, & Nicolaus Vadulphi canonicus Scarensis, in causa qvadam sententia capituli Upsalensis minus contenti, ad primatem rem deferebant. Autoritate juris canonici primatis qvidem fuit, qvamcunqve a sibi suoqve primatui subjecto appellationem admittere; at jam pridem oblivioni hoc datum erat, qvippe qvod turpe Sveci putassent. Tam lætam imperium exercendi opportunitatem haud temere misit Johannes Grand, avideqve appellationem accipiens summi judicis instar capitulum Upsalense ipsumqve præpositum, vel ipsos vel per procuratores, suo coram tribunali die dicto comparere jussit. Qvod ægre ferens capitulum primati morem strictius gerendi jamdudum insvetum, citatione contemta rem curiæ Romanæ committit. Ira jam percitus Johannes se suamqve dignitatem posthabitam declarat, præpositumqve capituli archiepiscopali fulmine feriens totum capitulum munere exuit.

Inter hæc vacat ecclesia Upsalensis Magno Boeti Ao. 1289 rebus humanis exemto l). Archiepiscopus hujus loco creatur Aboensis episcopus Johannes ex

k) Johanni Droosio suffectus est Ao. 1289. vid. Magn. Matth. p. 87.

l) Chron. vet. arch. Upf. l. c. cfr. Lagerbring. II. p. 750.

Polonia oriundus, primusqve in Svecia ordinis Dominicani propagator m), qvem tamen prius confirmare noluit pontifex, qvam per certos homines illius de moribus indoleqve certior esset factus n). Confirmatum deinde asserit archiepiscoporum Upsalensium chronicon o). Hic igitur, metuens, ne interdictum a primate Lundensi promulgatum, infirmiores metu perculsos in hujus redigeret potestatem, litteras d. 1 Dec. Ao. 1290 scriptas publicat, qvibus sententia primatis, utpote post appellationem capituli Upsalensis ad pontificem legitime devolutam lata, inanis declaratur, & cuicunqve sententiam publicanti vel publicari permittenti poena excommunicationis proponitur p).

Tempus jam aderat, qvo rite suo muneri præficiendus erat Johannes archielectus Upsalensis; at animis adeo utrinqve exacerbatis, tam consecrationem qvam pallium a primate Lundensi accipere detrectat. Miri qvid huc pertinens in Catal. Mss. Celsii occurrit. Exhibet nempe catalogus iste bullam a pontifice

m) ibid. p. 62. cfr. Benzel. in mon. vet. eccles. Sviog. p. 204.

n) Ex Bulla nondum edita in Catal. Mss. Celsii, scripta apud urbem veterem (Orvieti) d. 8 Jul. Ao. 1290 apparet negotium hoc inqvirendi Abbati Sabensi, Priori Sigtunensi nec non archidiacono Upsalensi pontificem commisisse.

o) l. c.

p) vid. Diplomatar. No. 15.

datam d. 4 Jul. 1289, qva pallium archielecto Upsalensi assignandum primati Lundensi Johanni Grand committitur. Si jam cogitaveris Magnum Boeti primum d. 15 Jul. eod. Ao. obiisse q), haud fieri potuerat, ut illius mors pontifici tam celeriter innotesceret; Johannes præterea, si vel eodem anno fuerit electus, haud tamen prius confirmationem, ut supra docuimus, qvam seqventi anno exeunte nactus est, neqve ante confirmationem pallium dari solebat. Nisi igitur in vitio haberi debet annus huic bullæ adscriptus, nescio qvid de ipsa sit cogitandum. Absonum enim videtur pallium a curia Romana antecessori Magno Boeti iterum missum fuisse, licet qvidem haud diffitebor ejusmodi incuriæ haud deesse exempla.

Ad Upsalensem nostrum redeamus. Primatum Lundensem ille exosus, patria relicta Romam petiit, sperans fore ut ab ipso pontifice consecratione & pallio ornaretur. At in itinere Ao. 1291 ut vulgo fertur, Provini in Gallia morte interceptus est r).

Bovone, episcopo Vexionensi interea qvoqve fatis functo, capitulum ejusdem ecclesiæ, qvo pacem restitueret, litteris promulgatis Ao. 1292, solenniter declaravit, sese in posterum ecclesiæ Upsalensis jura haudqvaqvam impugnaturum, qvæcunqve teneri voluissent ceteri ecclesiarum Svecanarum præ-

q) Chronic. vet. archiep. Upsal. p. 44.
r) Benzel. l. c. p. 205.

lati atqve capitula s). — Atqve controversiis, qvæ turbis ceteris ansam dederant, ita compositis, concitato ardore omnium in primatum Lundensem tela mittuntur.

24. *Nicolaus Allonis.*

Ut contumeliam, coram primate Lundensi comparere, evitaret capitulum Upsalense, causam, ut supra docuimus, per appellationem ad pontificem devolvit. Duo, qvi hoc negotium perficerent, Petro episcopo Arosiensi, pontificis in Svecia commissario perpetuo procurante, ablegati sunt nuncii, Nicolaus Allonis atqve Laurentius, ecclesiæ Upsalensis canonici. Ad pontificem Anagniæ tunc temporis commorantem litteras, cum qverelis de injuriis a primate Lundensi illatis, secum duxere, petentes ut ejusdem jugo liberari sibi aliqvando contingeret t). Hisce qverelis adjunctæ sunt aliæ eædemqve graviores, postqvam Johannes Grand ira incensus totum Upsalense capitulum fulmine percussisset. Qvæ cuncta Cardinali Benedicto dirimenda commisit Nicolaus IV pontifex; at tam leviter tractata sunt, ut cum Ao. 1292 obiisset pontifex, oblivioni prorsus tradita fuerint, donec post Coelestinum V in sedem pontificiam Ao. 1294 evectus esset idem ille Benedictus, Bonifacius VIII nunc appellatus. Is arbitrio

s) Lagerbring. II p. 751.

t) vid. Diplomatar. No. 16.

Johannis episcopi Tusculani rem totam permisit u); at, prout in curia Romana fieri solebat, res nunqvam conficitur.

Dum hæc Anagniæ aguntur, defuncto Johanne Poloni archiepiscopus creatur sæpius commemoratus Nicolaus Allonis, sperante capitulo consecrationem primatis Lundensis sic facilius posse evitari, siqvidem Anagniæ degeret Nicolaus iste, adeoqve levi negotio ab ipso pontifice consecratione pallioqve ornaretur. Impedimenta vero haud parvi momenti sese huic consilio objecere. Iste enim Nicolaus eorum erat ex numero, qvi, ut supra docuimus, a primate Lundensi munere erant exuti, necdum rescissum erat illud illius decretum. Huc accessit, qvod qvidam ejusdem ecclesiæ Upsalensis canonicus, Carolus Erlandi, incertum qva de causa, electionem capituli mutare conaretur. Nova hinc orta disqvisitio, qvatenus nempe rata haberetur electio, a pontifice Coelestino V Cardinali Benedicto committitur, qvi Coelestino deinde suffectus mox Johanni Tusculano eandem tradit inqvirendam. Hoc vero modo res fortasse nunqvam ad finem foret perducta, nisi electus Upsalensis Nicolaus Allonis, de sentiendi ratione curiæ Romanæ, qvippe qvi Anagniæ diutius versatus esset, bene informatus aliam viam ingressus fuisset.

u) Vid. litteras Johannis Tusculani scriptas Anagniæ d. 23 Jul. Ao. 1295 in Celsii Bullar. p. 96. seqv.

Totum nempe electione capituli jus sibi comparatum ultro mittit, omnemqve rem Pontificis permittit arbitrio. Mox cuncta removentur obstacula, & qvod spatio qvinqve annorum explicari haud poterat, illico ad finem traducitur, cuicunqve ut facile appareret, sententiam, qva capitulum Upsalense munere olim movisset primas Lundensis, "etiam in qvantum Nicolaum Allonis attingeret", autoritate pontificia esse relaxatam, ipsumqve dignissimum haberi, qvi episcopali munere donaretur x). Tali modo absolutum integrumqve pronunciatum Nicolaum Upsalensem archiepiscopum creat atqve confirmat Bonifacius VIII, eundemqve a Johanne Tusculano consecrari, tribusqve Cardinalibus, Mattheo, Benedicto & Guillielmo pallio donari jubet, ipso sacris operante, "salvo tamen jure ecclesiæ Lundensis, qvæ in eadem Upsalensi ecclesia jus primatiæ asserit se habere" y). Consecratio facta est Anagniæ Ao. 1295 z).

Ita sese gerendo, & vanitati & recti conscientiæ, ut interpretabatur, consuluit Bonifacius. Qværas fortasse num æqvo animo Lundæ sederet Johannes Grand, dum ejus qvæcunqve jura in curia pontificiali periclitarentur? At tunc temporis tot cum rege Daniæ litibus distinebatur, ut qvæ Anagniæ agerentur omittere esset coactus. A rege demum Ao.

x) vid. litteras Johannis Tusculani.
y) Diplomatar. No. 17. cfr. Lagerbring II. p. 778.
z) Chronic. ver. arch. Upsal. p. 66.

1294 captus haud prius evasit, qvam anno seqventi, cum protinus pontificem peteret, de injuria regis conqvesturus a). Licet igitur eodem anno, qvo archiepiscopus creatus sit Nicolaus Allonis, Anagniam venerit, nihil tamen, consecratione haud dubie jam confecta, potuit efficere, adeoqve hac vice in eo acqviescere coactus est, qvod non tantum jus primatus ipsi reservasset pontifex, verum etiam honorifico primatis nomine ipsum salutasset b). Damnum, si qvid fuerit, sibi restitutum judicare debuit, vel in eo, qvod ob ejus captivitatem generale in Dania interdictum promulgatum esset c), vel in hoc, qvod subinde liberalitate pontificis Ao. 1307 archiepiscopali sede Bremensi donaretur d).

25. *Compositio Nosabyensis.*

Curia Romana, ut jamdudum vidimus, ambigue sese gerente, nunqvam inter utramqve sedem archiepiscopalem deesse potuerat rixarum materia, qvæ qvoqve toties exortæ sunt, qvoties novus ecclesiæ Upsalensi constituendus esset archiepiscopus. Rursus igitur motus accedamus spectandos.

Ao. 1205 sede Upsalensi morte Nicolai Allonis vacante, ex capituli consensu archiepiscopus tandem

a) Langebeck. Scriptor. rer. Danic. VI. p. 223.
b) ibid. p. 351.
c) Gebhardi II. p. 218.
d) Pontoppid. I. p. 565. cfr. Lagerbring. III. p. 181.

electus est Nicolaus qvidem Ketilli, cathedra Arosiensi hactenus conspicuus. Hic vero Avenione apud sedem apostolicam tunc temporis commoratus e) atqve confirmatus, ut indicant litteræ pontificiæ scriptæ d. 22 April Ao. 1308 f), ibidem qvoqve haud dubie consecrationem palliumqve recepit. Haud tamen asserere ausim hanc causum fuisse discordiæ, qvæ inter hunc, &, qvi Isarni g) loco susfectus est primas Lundensis, Esgerum eo usqve grassabatur, ut haud prius posset componi, qvam ad concilium Viennense Ao. 1312 & 1313 celebratum h) esset delata. Hic vero talis ferebatur sententia, ut ob contumaciam pecunia mulctaretur archiepiscopus Upsalensis prævalenti Esgero solvenda i).

Hæc in Nicolao tantam mutationem effecisse videntur, ut cum Esgero in gratiam redire sibi haud

e) Hoc innuere videntur litteræ qvædam Clementis V eidem Nicolao posthinc scriptæ. vid. Bullar. Celsii p. 103. cfr. Lagerbring. III. p. 184.

f) Vide Celsii Bullarium p. 102. Catal. MSS. Celsii habet A. 1308 d. 15 Jul. Uter rectius habeat, componere haud meum erit.

g) Isarnus ex ordine cardinalium a pontifice ad regem Daniæ Ericum Menved de negotio Johannis Grand erat missus, cujus qvoqve loco demum in sede Lundensi Ao. 1303 constitutus, septennium circiter provinciam administravit, donec ad Salernitanam ecclesiam translatus Esgero locum cederet. Vid. Magn. Matth. p. 104. seqv.

h) Bower Geschichte d. Päbste VIII p. 310. seqv.

i) Messen. Scond. illustrat. T. II. p. 88. & T. XV. p. 52. cfr. Dalin. l. c. II. p. 362. Georgi de primatu p. 13.

alienum fore putaret. Qvod ut perficeretur, utrinqve certi Ao. 1314 mittuntur procuratores ad Nosaby prope Væ, hodie Christianopolin dictam k). Heic de eo convenisse legatos, ut in posterum absqve hæsitatione consecrationem Lundæ peteret archiepiscopus Upsalensis, suspicatur Lagerbringius l), nec immerito, qvippe qvod ex postea factis jure elici posse videatur. Cum enim anno eodem obiisset Nicolaus Kerilli m), tanta in successore Olavo Beronis, sapiente dicto, apparuit pietas, ut anno seqventi sese Lundam ultro conferret, qvo consecrationem, qvinimmo electionis confirmationem, incertum qvo jure, a Sveciæ primate obtineret n). Qvi hujus rei veniam peterent, præmissi duo Upsalenses canonici, Nicolaus & Thomas, ipsi protestati erant, "sese consecratione petita semper inniti velle" o). Cum igitur domum reversi essent, mox Lundam perrexit

k) vid. litteras Nicolai archiepiscopi apud Lagerbr. III. p. 179. cfr. Bullar. Celsii p. 27.

l) l. c. suspicatur simul celeberrimus idem autor, inter utrumqve convenisse pallium in posterum ab archiepiscopo Upsalensi, posthabito jure primatis Lundensis, Roma arcessendum esse, cui opinioni, qvippe argumentis ex postero tempore sumtis destitutæ, assentiri neqveo. Jus pallio induendi nunqvam ultro miserunt primates Lundenses, & ab illo inde tempore, qvo facto, dicto nunqvam accidit, illud jus iis eriperetur. adversa primatus incipiunt.

m) Chronic. vet. archiep. Upsal. p. 68.

n) Lagerbring III. p. 179.

o) Plerisqve a Peringskioldio inde usqve ad Georgi, hoc documentum prave interpretantibus, longe alius exiit sensus.

Olavus, Magno episcopo Vexionensi, Ulfone ejusdem ecclesiæ canonico atqve Boetio qvodam comitatus, ubi consecratione peracta, illam coram primate edidit declarationem notatu dignissimam, qvam qvoqve juramento dato firmavit: sese primati Lundensi ejusqve in primatu successoribus, qvatenus hoc egerint antecessores in ecclesia Upsalensi, religiose obtemperaturum, nec non omni studio ejusdem commodis procuratis, nil absqve illius consensu in negotiis gravioris momenti decisurum p).

Qvam ambigua esset hæc declaratio jam per se patet. Ab initio scilicet hujus periodi, primati Lundensi necne obedirent Upsalenses, certis regulis nunqvam erat constitutum, qvippe qvod cujuscunqve arbitrio relinqveretur. Dum ergo suam agendi rationem ad vagam antecessorum normam referret Olavus, nil certi constituit, nec magna promisisse videtur. Omnibus interea, qvo autoritati Esgeri satisfieret, factis, inter utramqve sedem concordia restituitur. Eqvidem tantum absum, ut cum Messenio q) blanditiis Esgeri, Upsalensi magna pollicentis, adscribam hæc omnia, ut potius compositioni Nosabyensi deberi judicem. Si enim proprio modo arbitrio hac in re usus esset Olavus, haud dubie interpellasset capitulum, qvod cum haud factum sit, licet qvidem

p) vid. Diplomatar. No. 18.
q) l. c. T. XII. p. 80 & 81.

Peringſkioldius r), litteras prave interpretatus, de intercesſione capituli ante conſecrationem, ejusdemqve poſt conſecrationem offenſione verba facit, fas erit arbitrari, capitulum, qvippe cui de autoritate iſtius compoſitionis perſvaſum eſſet, actis conſenſum præbuiſſe.

Qvando, eſt a qvo pallium receperit Olavus, ſcriptoribus huc usqve fuit incertum s). Ex Celſii vero Catalogo Mſſ. luculenter patet, pontificem Johannem XXII, litteris & ipſi & Esgero Avenione d. 26 Octobr. Ao. 1316 ſcriptis, curaſſe ut a primate Lundenſi pallium reciperet. Actui huic interea moram injectam plures docent ejusdem pontificis litteræ, Ao. 1316 & 1317 ſcriptæ, in qvibus non niſi electus vocatur Olavus t). Eum non prius pallio ornatum fuiſſe, qvam anno 1318 exeunte, certisſimis argumentis demonſtravit Lagerbringius u); idem vero per Esgerum receptum fuiſſe, poſt litteras Johannis XXII nullus dubio locus relinqvitur.

26. *Lucidius intervallum.*

Inter turbas, qvæ, Chriſtophoro II imprudenter regnante, Daniam vexarunt, rege omnibus fere

r) Monumenta Ullerakcr. p. 143.

s) Benzel. l. c. p. 208. Lagerbring III. p. 187.

t) Et in Celſii Catal. Mſſ. & in Bullar. ejusd. p. 105. ſeqv., ubi tamen unæ litteræ, inepte haud dubie inſcriptæ, Olavum jam Ao. 1316 archiepiſcopum vocant.

u) Lagerbring III. p. 187.

orbato, provinciisqve a procuratoribus ubiqve male habitis, ſponte ſeſe Svecorum imperio dederat Scania x), vel ut alii volunt ab Holſatis Sveciæ regi Magno Smek erat conceſſa y). Cui qvamvis posſeſſioni a pontifice Benedicto XII obtineri haud contigiſſet confirmatio z), per ſpatium tamen 28 circiter annorum Svetici juris fuit a). Primatum Lundenſem hoc tempore priſtino decori redditum fuiſſe, qvis miretur, qvi cogitaverit, hac unica ratione extero huic imperio conciliari potuiſſe primates Lundenſes? — Nec tamen eſt qvod miremur, ſi reperiamus pontifices archiepiſcopos Lundenſes Sveciæ primates eſſe nonnunqvam oblitos, negotia ad illos modo pertinentia, aliis commiſiſſe. Sic conſtat Benedictum XII archiepiſcopum Nidroſienſem in cauſa archiepiſcopi cujusdam Upſalenſis arbitrum conſtituiſſe b). Nobis ſufficiat, ipſos Upſalenſes archiepiſcopos Lundenſibus breviori hoc intervallo ut ſuis primatibus nulla non exhibuiſſe reverentiæ obedientiæqve documenta.

Conſtat qvidem Petrum Philippi, qvi poſt Olavum Beronis Upſalenſem ſedem adeptus eſt, haud

x) Gebhardi II. p. 242.
y) Fr. Sneedorff IV. p. 311.
z) V. A. Heinze diplomatiſche Geſchichte des däniſchen Königs Waldemar III. Lipſiæ 1781. p. 11. ſeqv.
a) ibid. p. 179. ſeqv.
b) Ex litteris in Catal. MſſT. Celſii ſcriptis d. 1 Sept. Ao. 1338.

Lundæ per primatem, at Romæ per Petrum episcopum Prænestinum consecratum fuisse, ibidemqve per duos Cardinales pallio indutum; documento hujus rei exstant ipsæ litteræ Johannis XXII c). Minus vero in inimicitiis inter hunc & archiepiscopum Lundensem gestis, qvippe qvas nihil innuere videatur, hujus rei causa qværenda, at potius in turbulento Scaniæ statu, intestinis motibus eo anno laborantis, qvorum ut evitaret periculum, præsertim archiepiscopo procul dubio Calmarniam profecto d), ipsum pontificem consecrandus petiisse videtur; tantumqve abest ut jurium, qvæ ad primatum pertinere ducebantur, detrimentum fecerit Carolus Lundensis, ut potius ipsum in negotiis ad ecclesiam Svecanam proprie pertinentibus arbitrum constitutum fuisse ex ipsius Johannis XXII litteris luculenter appareat e).

Ceterum, in qvantum mutatæ essent de primatu ejusqve juribus opiniones, ex agendi ratione capituli Upsalensis in successore Petri f) eligendo adhuc

c) Scriptæ Avenione d. 16 Nov. Ao. 1332, tredecim ergo dies post bullam confirmatoriam, vid. Bullar. Celsii p. 113.

d) Lagerbring III, p. 262.

e) Litteræ d. 28 Dec. Ao. 1327 Avenione scriptæ recensentur in Catalogo MSS. Celsii, in qvibus jubetur Carolus Egistum aliqvem Birgeri episcopo Arosiensi coadjutorem dare.

f) Volunt pleriqve scriptores, cfr. Lagerbring III. p. 351. Petrum Philippi Upsalensem propter continuas ab ordine

lucidius patet. Cum enim placuisset Hemmingius qvidam capitulo ecclesiæ Upsalensis præpositus, haud tamen electionem ipsius capitulum prius ratum habuit, qvam archiepiscopo Lundensi per litteras, qvibus primas Seciæ salutatur, demisse supplicasset, ut electum confirmare, atqve consecratione rite facta muneri præficere dignaretur g). Novum prorsus atqve insolitum, archielectum Upsalensem a primate Lundensi petere confirmationem, qvippe qvæ ex institutis apostolicis solis pontificibus esset relicta. Hanc qvidem conferendi potestatem semel Esgero olim indulserat Johannes XXII, cum de Olavo Beronis muneri præficiendo ageretur, at cum ad pontificem unice pertineret, illam sibi arrogare non ausi sunt primates Lundenses. Minime ergo mirum, si Hemmingium iterum anno seqventi, at a pontifice, confirmationem petiisse reperias, qvæ qvoqve per litteras d. 15 Nov. Ao. 1342 h) ei fuit concessa. Haud enim absimile videtur, Petrum Lundensem, de confirmatione atqve consecratione Hemmingii a capitulo ro-

minorum vexationes sponte munus deposuisse Ao. 1337, qvod tamen minus verum videtur, siqvidem ex Catalog. Mss. Celsii apparet pontificem Benedictum XII litteris d. 3 Jan. Ao. 1340 scriptis eum adhuc archiepiscopali nomine salutasse.

g) vid. Diplomatar. No. 19.

h) Bullar. Celsii p. 118.

gatum, neutram dare prius ausum fuisse, qvam a pontifice electio esset confirmata, adeoqve Hemmingium non prius muneri rite præfectum fuisse, qvam Ao. 1342, cum a Clemente VI pontifice recens facto, Benedicti successore, ei pallium mitteretur i), a primate an ab alio tradendum, licet qvidem prius vero similius sit, incertum.

Lubrica si vel per decennia aliqvot in primatu tuendo fortuna usi essent archiepiscopi Lundenses, attamen nunc omnes, qvas a sede Upsalensi passi erant vexationes, desiisse videbantur, qvod vero cum, ut supra monuimus, mutatæ rerum civilium faciei unice deberetur, tanto magis mirandum, Daniam ab eo inde tempore, qvo Svetici juris facta esset Scania, archiepiscopum Lundensem suum primatem agnoscere voluisse. Agnovisse vero luculenter patet ex utroqve concilio Helsingburgensi, cui alteri Ao. 1335 alteri Ao. 1345 celebrato k) omnis Daniæ clerus affuisse dicitur. At, ni fallor, omnis in eo hujus obseqvii petenda est causa, qvod Scania, qvippe cujus vindicatæ confirmationem regi Sveciæ renuisset sedes apostolica l), saltem qvoad res ecclesiasticas nondum Svetico imperio subjecta duceretur.

i) Bullar. Cels. p. 118.

k) Acta prioris Pontoppidanus in Annalib. II p. 143, posterioris Lagerbringius in duobus dissertationibus edidit.

l) cfr. Bullar. Celsii p. 117.

Post tot dubia fata solatio isto indigebant primates Lundenses, mox adversa passuri.

Cap. V.

Adversa primatus Lundensis.

Ao. 1353-1519.

---

27. *Nubila.*

Omen nunc accipiunt Lundenses, idemqve minime faustum. Litteræ pontificum fiunt rariores: negotia ipsis committenda aliis traduntur: archiepiscopi Sveciæ aut a suffraganeis aut ab ipso pontifice consecrantur: pallium Upsaliam recta via mittitur: jura qvævis primatus, nec curia Romana prohibente, impugnantur: duo pariter nascuntur Sveciæ primates: sopore qvasi jacet oppressa ista Lundensibus ab Alexandro III olim concessa dignitas; at — repente excita, pristino decori reddita, eminet, fulget, & prorsus deniqve exstingvitur.

Qvomodo, Hemmingio electo confirmationem consecrationemqve a primate Lundensi concilia-

turi sese olim gesserint Upsalenses, supra accepimus. At non ita vivide in posterum animis obversabatur compositio Nosabyensis. Hemmingio exstincto Ao. 1353 plurimis probatur Petrus Tyrgilli, cui eodem qvoqve anno a pontifice Clemente VI confirmatione potiri contigit m). At Lundam consecrandus minime properat, qvin mira ratione annum & ultra Lincopiæ, cujus ecclesiæ fuerat episcopus, absqve pallio commoratur n). Copiam pallii redimendi ei defuisse autumat Rhyzelius o). Eum interea temporis consecrationem Lundæ accepisse, si vel non diserte commemorant scriptores, vero tamen simillimum videtur, qvoniam nec sedem pontificiam ipse adiit, nec absqve consecratione rite impetrata pallio potuit ornari. Cum vero post longam temporis moram jam in eo esset, ut illud sibi adsciscere cuperet ornamentum, Johannem Caroli canonicum Upsalensem ad Innocentium VI in sedem pontificiam nuper evectum ablegat, supplicans ut sibi per eundem pallium transmitteretur. Mos ei gestus est. Tantum vero aberat, ut primatis Lundensis in hoc negotio ratio ha-

m) Bullar. Celsii p. 123.

n) Sæpius qvoad hanc rem violatas esse leges pontificias neminem fugit. Mandatum erat jure canonico "unumqvemqve metropolitanum intra tres menses fidem suam exponere & pallium a Romana ecclesia postulare debere, nisi commissa carebit dignitate". vid. Corp. jur. can. ed. Pelletier I. p. 122.

o) l. c. I. p. 41.

beretur, ut potius disertis verbis episcopo Lincopensi & Vexionensi demandetur, ut vel pariter uterqve, vel eorum alter, archielectum Upsalensem, pallio dato juramentoqve accepto, muneri admoveret, ne jure qvidem, ut antea fieri solebat, primatis Lundensis reservato p). Hoc primum exemplum primatus Lundensis aperte posthabiti, neglectiqve; qvantoqve in superiori archiepiscopo Upsalensi consecrando felicior fuisset Petrus, is enim adhuc sedem Lundæ tenebat, tanto segnior, & qvidem præter spem iners, inter hæc omnia versatus esse idem ille videtur. Nec enim pro more solito una cum Upsalensi a sua parte nuncium Romam ablegasse, nec, juribus suis læsis, verbo qvidem sese neglectum qvestus esse reperitur.

Jam certandi, exqve certamine victoriam reportandi, Upsalensibus oblata erat occasio. Imbecilliores fuerunt & Jacobus Nicolai & Nicolaus, Petri Lundensis successores, qvam ut adverso flumine niti valerent, qvorum alter pontificem, qvo confirmationem reciperet, petens, bonis suis per Benedictum Scaniæ præfectum exuitur, atqve redux vinculis aliqvamdiu retentus in castro demum Hammarensi vitam ponit q); alter vero in libris conscribendis, qvam

p) vid. Diplomatar. No. 20.
q) Langeb. Script. rer. Dan. VI p. 529. cfr. Lagerbring. III p. 446. Magnus Matthiæ p. 151.

juribus servandis fortior r), freqventioribus turbis obrutus, haud vi polluit ad tanta discrimina fortiter superanda. Nil igitur mirum, qvi post Petrum Tyrgilli archiepiscopus electus est, Birgerum Gregorii ipsum pontificem Urbanum V, primate neglecto, anno seqventi adiisse, qvo ibidem non confirmationem modo, verum etiam consecrationem & pallium adipisceretur s). Clamores heic tollit Messenius t), qvasi ab Alberto rege ordinibusqve Sveciæ exoratus Svecanam ecclesiam a primatu Lundensi

r) Autor est "Chronicæ episcoporum Lundensium", qvam una cum "serie episcoporum ecclesiæ Lundensis" edidit Thom. Bartholinus. Ejusdem qvoqve sub auspiciis liber ille capituli Lundensis, vulgo dictus *Palte*, in qvo singulorum prælatorum, Canonicorum & Vicariorum sub id tempus bona notata exstant, confectus est. cfr. Magnus Matthiæ p. 158. Lagerbring. in Monument. Scanens. P. I. p. 4.

s) Peringskioldius Monum. Ulleraker. p. 150. & Rhyzel. episcoposcop. I. p. 41. chronicon vetus Upsal. archiep. aliter interpretati, malunt qvidem Birgerum post confirmationem a pontifice missam domi consecrationem & pallium recepisse, at ex verbis ipsius Chronici: "electus anno Domini MCCCLXVI in die sancti Leonardi. confirmatur anno seqventi ab Urbano V papa in Viterbio, decimo Kal. Augusti, & consecratus in die sancti Jacobi Apostoli, vel Octavo Kal. Aug." nullus alius me judice, ita qvoqve sentiente Lagerbringio III p. 830, exit sensus, qvam ut Birgerus Viterbii d. 23 Jul. confirmatione ornatus, duos post dies ibidem consecrationem adeptus sit. cfr. Chron. vet. archiep. Upsal. p. 83. Bullar. Celsii p. 131.

t) Scond. illustr. III p. 24. XIII. p. 64.

prorſus liberaſſet pontifex; inanes vero. Neqve enim vera eſt, cui pro argumento ſententiam ſuperſtruit, narratio, Svecos in hujus rei memoriam tres feſtorum ſolenniorum dies qvarto auxiſſe u), nec ullo prorſus certo nititur argumento, Birgerum Gregorii primatem Sveciæ appellatum fuiſſe, qvippe cujus contrarium mox vindicabimus.

28. *Appellatio ad primatem Lundenſem.*

Imperium tam enervatum, qvam jam vidimus Lundenſe, ſurſum levare vel ſaltem integrum tueri haud valuerunt primates ſeqventes, Petrus & Magnus, qvorum prior, nil contra niti auſus, Henricum Caroli, qvi poſt Birgerum Sveciæ conſtitutus erat archiepiſcopus, recta via Romam x) pergentem, conſecratione ibidem pallioqve ornari pati coactus eſt. Qvamvis vel aliam peregrinationis Henrici cauſam afferunt ſcriptores, eum nempe inſidias regis Alberti, ſibi infeſti, evitare voluiſſe y), nihilominus tamen fas erit voluntatem Lundenſi ſeſe ſubtrahendi in Henrico ſimul ſuſpicari. Confirmatio pontificis jam eodem anno, qvo defunctus erat Birgerus, 1383 data reperitur z). Petrus, Magni in ſede Lundenſi

u) Lagerbring. III p. 642. cfr. diſſert. de epiſcopis eorumqve inſignibus in Sveogothia p. 6.

x) Avenionem Roma mutaverat Gregorius XI ab anno inde 1376. Bower. VIII. p. 466.

y) Peringſkiold. l. c. p. 151. Lagerbring. IV p. 328.

z) Bullar. Celſ. p. 145.

successor, post annum & 12 dies moritur Helsingburgi a) & Jacobum Gerardi habuit successorem.

Aliqvot post annos mutationem iterum subit sedes Upsalensis. Henrico exstincto, unanimi capituli Upsalensis consensu sufficitur Andreas Johannis ejusdem ecclesiæ præpositus, qvi hac de re pontificem mox fecit certiorem, sibiqve confirmationem expetivit b). At Ericus Pomeranus ab Ao. inde 1396 Svecanas res moderans sui juris voluit esse archiepiscopi electionem. Hinc, capitulo neglecto, ipse ecclesiæ vacanti providit, suumqve Cancellarium Johannem Jerechini, ex Dana gente oriundum archiepiscopum pronunciavit, cujus qvoqve confirmationem absqve omni difficultate, ut videtur, a pontifice Gregorio XII obtinuit c). Andreas interim, spe ita dejectus, precibus Margaretæ reginæ motus electioni isti prætulit episcopatum Strengnensem d). Iste vero Johannes Jerechini ita sese in provincia gessit, ut nullis non se emanciparet vitiis, sceleribusqve insignis nullum habuerit in sede archiepiscopali

a) Lib. dat. Lund. in Script. rer. dan. III pag. 579. cfr. Magn. Matthiæ p. 166.

b) Spegelius chronic. episcopor. p. 26.

c) cfr. Chron. ver. archiep. Upsal. p. 88. Dalin qvidem asserit II. p. 585. Johannem Jerechini a pontifice non confirmatum sed excommunicatum fuisse; at omni destitutus argumento.

d) Lagerbring. IV p. 329.

fui similem e), qvo deniqve factum est, ut, licet ei rex, utpote ad qvævis promtissimo, vel maxime faveret, a pontifice tamen Martino V Ao. 1421 f) munere demum exutus Islandis datus sit episcopus, apud qvos flumine Bruaraino demersus vitam pro merito posuisse refertur g).

Hujus potissimum injustitia atqve crudelitate factum esse videtur, ut juxta veterem normam appellationes ad sedem Lundensem deferre, qvam injustissimi hominis arbitrio permittere, prætulerint Sveci. Tales revera factas esse appellationes, autor est Peringskioldius h), a qvibus vero & qva de causa silentio præterit. Lundæ tunc temporis sedit Petrus Kruse, qvi cum talem juris primatus exercendi haud dubie avide arriperet occasionem, ut ejusmodi appellationibus obviam iretur, declarationem Ao. 1415, archiepiscopo rem moderante, fecit capitulum Upsalense, nuncupans sese archiepiscopum Lundensem ceu suum primatem agnoscere nolle. Qvemnam res habuerit eventum, incertum est, ex ipso vero facto, ut bene monuit Lagerbringius i), luculenter patet, prærogativam Lundensium nondum evanuisse, aliàs

e) vid. litteras Martini V in Bullar. Cels. p. 174.
f) vid. Bullar. Cels. p. 175. cfr. Chron. vet. arch. Upsal. p. 89. Lagerbring. IV p. 330. seqv. Benzel. monum. p. 21.
g) Olaffens Reise igiennem Island. p. 1037.
h) Monum. Ulleraker. p. 154.
i) Diss. de episcop. eorumqve insignibus p. 4.

nulla tali opus fuisset declaratione. Attamen parvi modo momenti nunc certe ista erat prærogativa, siqvidem omnia reliqva docent primates Lundenses neglectos fuisse. Sic in litteris qvibusdam concilii Constantiensis 1416 Lundensi præponitur archiepiscopus Upsalensis k), qvod si vel levioris haberetur momenti, in stylo tamen curiali suum habet pondus; & ubi de moribus Johannis Jerechini inqvirendis agitur, jubente Martino, haud primati Lundensi at archiepiscopo Rigensi tale negotium demandatur l). Ita ab omnibus negotiis primariis qvasi exclusi Lundenses solum fere nomen retinuere.

29. *Petrus Lykke.*

Ceterum ubi de primatu servando non ageretur, Lundensibus haud iniqvos sese præbuere pontifices. Sic constat magna apud Martinum V autoritate polluisse Petrum Lykke Lundensem archiepiscopum, qva usus, ut ecclesiæ Lundensis annates, hactenus 4000 florenorum solvendi, ad dimidium usqve in posterum minuerentur, effecit m). Haud vero pristino decori provinciam reddere valuit, adeoqve causæ Johannis Jerechini interesse, vel in utrisqve ejus successoribus consecrandis jus avitum primatis exercere, ei non contigit.

k) vid. Celsii Bullar. p. 166.
l) ibid. p. 174.
m) vid. litt. Mart. V ap. Lagerbring. IV p. 353.

Cum ſcilicet Johannes archiepiſcopus Rigenſis, in cauſa Johannis Jerechini judex conſtitutus, illum ſua ſententia officio removiſſet, atqve capitulares Upſalenſes, temporibus inſervientes, inter tres candidatos, Magnum nempe epiſcopum Aboenſem, Nicolaum Ragvaldi Lincopenſem Strengnenſemqve canonicum, atqve Johannem Haqvini conventualem Vadſtenenſem, regi Erico præpotenti optionem permiſiſſent n), præ ceteris regi probatur Johannes Haqvini. Hic pias Erici confesſiones olim acceperat, negotiisqve Coenobii Vadſtenenſis Ao. 1418 Romam ablegatus ibidem biennio commoratus fuerat, unde qvoqve haud abſonum videtur ipſum interea, qvo Johannes Jerechini deprimeretur, ſuum contuliſſe, ſperantem fore ut regis favore archiepiſcopali infula coronari aliqvando ſibi contingeret. Cum a capitulo vel rectius a rege hic eligeretur, nondum contra illius in ſede Upſalenſi prædeceſſorem a pontifice confirmata erat ſententia. Mox vero tam ſententia iſta qvam electione Johannis Haqvini per pontificem confirmata, ultra permittitur, ut a qvocunqve maluerit epiſcopo catholico, asſiſtentibus duobus vel tribus epiſcopis, muneri inaugurari ipſi liceret o). Qva qvoqve venia uſus, Petro Lundenſi neglecto, Ao. 1422 ab epiſcopis Lincopenſi atqve Strengnenſi conſecrationem palliumqve recepit.

n) Diarium Vadſtenenſe p. 63. cfr. Lagerbring. IV. p. 333.
o) Bullar. Celſii p. 175 & 176. cfr. Lagerbring. l. c.

Nec meliori successu usus est Petrus Lykke, cum in eo esset ut consecraretur istius successor Nicolaus Laurentii. Hic rege invito, qvi Thomam qvendam, episcopum Strengnensem, prætulerat, loco Johannis Haqvini a capitulo erat exoptatus. Ut igitur regis evitaret insidias, Romam illico petere satius duxit, eodemqve per Finlandiam iter instituens pervenit, & consecrationem prius accepit qvam rex prohibere potuit p). Qvibus cognitis rex, qvi interim domi plures elegerat archiepiscopos q), adeo exacerbatus est, ut anno eodem 1432 cum archiepiscopo Lundensi nec non episcopo Roskildensi & Asloensi litteras contra Olavum ad pontificem miserit r). Qvibus permotus parum sibi constans pontifex Olavum haud dubie translocasset, nisi caussa interim ad concilium Basileense delata, rege qvidem invito & forte coacto, demum oblivioni tradita fuisset, Olavo sedem obtinente s).

Sic ipsa tempora in caussa fuisse videntur, qvo minus rebus Svecanis interesset Petrus Lykke. Qvod vero in Svecia ex votis contingere noluit, in Dania asseqvi conatus est, dum ad hierarchiam iisdem legibus, qvibus Ao. 1345 Helsingburgi factum esse

p) Celsii Bullar. p. 180.

q) De hoc injusto regis arbitrio totius Sveciæ clerus in concilio Basileensi Ao. 1435 conqvestus est. Litteras vid. ap. Lagerbring. IV p. 576.

r) Litteræ reperiuntur apud Wilde Svec. hist. pragmat. p. 413.

s) Lagerbring. IV. p. 334. seqv.

accepimus, ſtabiliendam concilium Hafniæ Ao. 1425 convocavit, cui celebrando totus interfuit Daniæ clerus, epiſcopis Slesvicenſi & Revalenſi unice exceptis t).

30. *Nicolaus Ragvaldi.*

Concilium Baſileenſe, & qvidem curante epiſcopo Vexionenſi Nicolao Ragvaldi u), primatui Lundenſi finem impoſuiſſe, communis fuit inter omnes fere ſcriptores opinio, qvæ cum hac in hiſtoria gravioris ſit momenti, digna eſt, qvæ penitius examinetur.

Nicolaus ille, nobis ſæpius commemoratus, pluribus comitatus ab Erico Scandinaviæ rege ad concilium Baſileenſe legati nomine erat miſſus, anno, ut putatur, 1434 x). Dum negotio ibidem fungitur, occidit Olavus Laurentii Upſalenſis Ao. 1438 y), de eccleſia Svecana optime meritus. Olim, cum præ ceteris archiepiſcopalem dignitatem reportaſſet

t) Hvitfeld. p. 714. Pontoppid. II p. 389. cfr. Lagerbring. IV p. 354.

u) Bullar. Celſii p. 29.

x) Hamsfortius refert Ao. 1434. miſſos fuiſſe ab Erico Johannem Ivari Aarhuſienſem, & Petrum epiſcopum Ripenſem. Haud absqve cauſa ſuſpicatur Lagerbringius, Nicolaum illos comitatum fuiſſe, vel certe non prius eſſe profectum, Pontoppidano II p. 552. qvamvis aſſerente jam Ao. 1431 ſimul fuiſſe emiſſos. cfr. Lagerbring. IV p. 318.

y) Chronic. vet. archiep. Upſal. p. 96.

Johannes Haqvini, jam inter candidatos fuerat Nicolaus Ragvaldi. Haud igitur mirum eum jam, ecclesia iterum vacante, faciliori negotio voto potitum, atqve ab ipso concilio archiepiscopum Upsalensem confirmatum fuisse z). Causa vero & ratio opinionis jam dictæ de Nicolai in concilio rebus gestis hæc est: Johannes Magni, historicorum ecclesiæ Svecanæ haud certe facile princeps, in opere Metropoli dicto a) hæc profitetur: "Ipsum, Nicolaum Ragvaldi, magno consensu in suum archiepiscopum elegerunt, qvi a concilio Basileensi non solum in archiepiscopatu confirmatur, sed etiam plenam autoritatem impetravit, qva episcopos, vacantibus ecclesiis cathedralibus, in sua provincia præficere, confirmare & consecrare posset — — Præterea impetravit a concilio Basileensi, ne qvis de cetero se *primatem* regni Sveciæ scribere præsumat, nisi *metropolitanus* Upsalensis, a qvo omne jus primatus tota Svecia in reliqvum exspectare deberet, cujus decreti exemplar habetur in bibliotheca papæ inter acta generalium conciliorum, neqve a modo licere archiepiscopo Lundensi electo præsuli Upsalensi pallium imponere, ut superius de Magno Boeti & Johanne Lundensi recensetur". —

z) Bullar. Celsii p. 186.
a) p. 100. seqv.

Hactenus Johannes Magni. Jam si acta concilii Basileensis pervolvas b), ne verbo qvidem cujusqvam horum mentio facta est. Scriptores rerum Svecanarum, si Messenium forte demseris c), nulli ausi sunt talia referre. Ericus Olai d), Nicolai cetera recensens merita, hoc silentio præterit. Benzelius, Dalinus & qvi hunc secutus est Georgi de tantis prærogativis haudqvaqvam loqvuntur. Rhyzelius qvidem narrat, at ore Johannis Magni loqvitur e); & Pontoppidanus, haud accuratius rem scrutatus, temere Messenium seqvitur f). Vetus Chronicon archiepiscoporum Upsalensium contra, multa cum laude Nicolai Ragvaldi faciens mentionem g), hoc, qvod haud certe reticuisset, meritum non commemorat. Haud ergo alienum fuisset, si alterius potius qvam suiipsius testimonio probasset Johannes Magni exstitisse documentum hujusmodi argumenti, vel saltem ipsum exhibuisset documentum, cujus adeo ratio potuisset examinari. Neutro vero facto, non est cur fidem habeamus meræ hominis assertioni, qvi in omni hac historia primatui vel adeo sese præbuit inimicum, ut dicere ausus sit: "nullum Sveonum archiepræsulum unqvam fuisse inventum, qvi se Lun-

b) Hardouin. Act. Concil. VIII.

c) Chronic. episcopor. p. 36.

d) Historia Svecorum Gothorumqve p. 354. seqv.

e) I. p. 46.

f) Annal. II. p. 569.

g) p. 102. seqv.

densi pontifici in accipiendis archiepiscopalibus insignibus submittere sustinuerit' h).

Si, ut nos credere vult Johannis Magni, res ita vere sese habuisset, Lundenses eo ipso qvoqve omni jure adeo fuissent privati, ut nullus in posterum contentioni fuisset locus, & si qva de re vel ageretur, nil certe aliud qvam hanc concilii sententiam allegare Upsalensibus opus fuisset; qvod cum nunqvam factum esse legatur, figmenta sua pro veris venditasse Johannem, qvisqve facile videt. Hisce si addas, archiepiscopos Lundenses ad Birgerum usqve Ao. 1519 defunctum sese primates appellare nunqvam desiisse, qvod si tale exstitisset documentum nunqvam fuissent ausi, certe intelliges melioris notæ scriptoribus nunqvam probatum iri hocce figmentum, qva de causa qvoqve illud respuit Lagerbringius i).

Ceterum Nicolaum Ragvaldi, strenuum multæqve industriæ virum, omnia fecisse qvo suis prodesset atqve primatum debilitaret Lundensem, haudqvaqvam in dubium debet vocari, siqvidem mox ad exempla feramur, qvæ constantiam Upsalensium in qvovis Lundensium jure impugnando nos satis edocebunt.

h) Histor. Gothorum Sveonumqve Lib. XVIII c. 18. p. 687.
i) IV. p. 321. seqv.

31. *Controversiæ de cruce gestæ.*

Ao. 1444, Christophoro rege Stockholmia redeunte, accidit ut indicerentur comitia, qvibus interesse jubebantur regni proceres atqve episcopi. Hisce celebrandis qvoqve adfuit Tuvo, post Johannem Laxmannum Lundensium archiepiscopus, qvi rei majorem solennitatem, præsertim rege ipso præsente, conciliaturus crucem patriarchalem sibi præferri jussit. Ipse qvidem haud præsens fuit Nicolaus Ragvaldi; episcopi vero, Lincopensis, Strengnensis atqve Vexionensis, hoc cognito, Tuvonem tali modo sese Sveciæ primatem aperte declaraturum arbitrati, siqvidem ex jure canonico in externa ecclesia crucem præ se ferre soli primati liceret, mox per præconem publicum contra jura primatus Lundensis fecerunt intercessionem. Qvibus auditis, ingenue professus est Tuvo, tantum abesse, ut hoc signo jus primatus affectaret, ut pietatem atqve reverentiam erga regem solum exhibiturus, neqvaqvam, si eadem libertate in sua provincia uteretur Nicolaus Upsalensis, moleste ferret. Episcopi tamen nihilominus, veriti, si ejusmodi res concederetur, seqventibus Lundæ archiepiscopis, qvorum a primatu liberari Svecia jamdudum laboraverat, novam autoritatem accessuram, intercessionis instrumentum confici curarunt, qvo ca-

verent ne talia ſedi metropolitanæ Upſalenſi detrimentum inferrent, vel in poſterum amplius fierent k).

At ſi hujus intercesſionis argumenta inſpiciamus, haud adeo firma invenientur, ut qvo jure fecerint intercesſionem inde potuerit elici. Provocant nempe ad privilegia ſedis Upſalenſis, qvorum vi poſt hominum memoriam haud obtinuiſſet jus primatus Lundenſis. Infirmum ſane argumentum, ſiqvidem haud ita multi effluxerant anni poſt priorem contra appellationes primatibus Lundenſium delatas, Ao. 1415 factam intercesſionem, de avito Lundenſium ceu primatum in Svecana eccleſia jure nihil ut dicam, nullo ſedis apoſtolicæ decreto adhuc abrogato. Largiamur præterea, ut Lagerbringii utar verbis l), Tuvoni archiepiſcopo piam ipſius de cruce profesſionem, nihil tamen inde juri ſedis Lundenſis detraheretur, qvippe qvod alio, qvam prælatione crucis, niteretur fundamento.

Nec in iſta profesſione niſi ſimulate egiſſe Tuvo videtur, [nam cum poſtea Ao. 1453 Carolum Canuti, qvi eum in ſuas partes pertrahere conabatur, Lunda conveniſſet, ſeſe Daniæ archiepiſcopum, pontificis maximi legatum, Sveciæqve primatem appellare minime dubitavit m).

k) vid. Diplomatar. No. 21. cfr. Meſſen. Scond. Illuſtr. XII p. 81. Lagerbring. IV p. 374.

l) Differt. de epiſcop. eorumqve inſign. p. 6.

m) Magnus Matthiæ p. 199.

Intercesſionem dictam haud magni ponderis fuiſſe inter alia vel hoc evincit, qvod ſucceſſor Tuvonis Johannes Brocksdorp Ao. 1482, cum Calmarniæ conventus iterum haberetur, non minus crucem ſibi præferri voluerit. Legati nimirum Svecorum Danorumqve pacem inter utramqve gentem conciliaturi Calmarniam convenerant. Cui conventui qvoqve interfuturus Johannes Brocksdorp, nihil, qvo ſuam oſtentaret dignitatem, omittere voluit, adeoqve intercesſionis Svecorum, ante aliqvot annos factæ, nulla habita ratione, crucem patriarchalem præ ſe ferri curavit. Accidit vero, ut eodem qvoqve conveniret Jacobus Ulphonis, Upſalenſis archiepiſcopus, qvi hoc intuitus priſtinæqve intercesſionis haud oblitus ita Lundenſi indignatus eſt, ut per Helgonem capituli Strengnenſis præpoſitum & archidiaconum Upſalenſem Ragvaldum hoc ei interdixerit, neqve hoc contentus, apud pontificem Sixtum IV qvoqve hac de injuria conqveſtus fuerit.

Lundenſis vero, ut ferunt, dicto morem geſſit, conventuqve relicto in naves ſe contulit n). Ceterum qvid ex hac controverſia ſit ſecutum latet;

n) Peringſkiold. l. c. p. 169. cfr. Celſii Bullar. p. 30. Miror celeb. Fant in diſſ. de meritis Jacobi Ulphonis hanc rem alto ſilentio præteriiſſe.

constat vero nullum hac de re haberi pontificis responsum, nec jus primatus sublatum fuisse o).

32. *Duo pariter Sveciæ primates.*

Haud est inficiandum, autoritatem archiepiscoporum Lundensium, jam antea labefactatam, post ævum Nicolai Ragvaldi magis magisqve decrevisse. De consecratione vel pallio nunqvam amplius erit sermo; bene actum arbitrabantur Lundenses, si modo nomen atqve insigne primatis Sveciæ sibi relinqveretur. At ne hoc qvidem iis indulsit fortuna.

Tantum ex morte regis Christophori, Ao. 1448 defuncti, dolorem ceperat Nicolaus Ragvaldi Upsalensis archiepiscopus, ut paucis post diebus præ ægritudine e vita decesserit p). Huic communi capituli consensu successor eligitur Johannes Benedictus, capituli olim præpositus. Jam confirmatio petenda erat, at apud qvem haud constabat, siqvidem, ecclesia schismate laborante, nondum abdicaverat Felix V, & Nicolao V Romæ electo obedientia nihilo-

o) Ejusmodi de crucis antelatione controversiæ olim gestæ fuere, tam inter archiepiscopum Cantuariensem & Eboracensem, qvorum uterqve sui juris voluit esse per totam Angliam crucem præ se ferre, qvam inter archiepiscopum Parisiensem atqve Lugdunensem, qvorum ille contendit huic non liberum esse propriam extra provinciam sublimi cruce antelata procedere, qvippe qvod nec consvetudo, nec ullum privilegium apostolicum ei concessisset, cfr. Marca de primatib. n. 128, p. 98.

p) Ericus Olai p. 367.

minus undiqve ſervabatur. Nunciis igitur de confirmatione pallioqve petendo ablegatis demandatur, ut inqvirerent, qvinam verus haberetur pontifex, & ab eodem reciperent. De hoc incerti Baſileam, ubi adhuc concilium celebrabatur, adire conſtituunt, haud tamen per easdem vias profecturi. Conſilio inito unus ex illis, Carolus Ingevaſti, qvi ipſe decretum electionis ſecum ferebat, præ ceteris feſtinanter, ſibi qvoqve hac occaſione conſulturus, Baſileam accesſit, tantaqve in negotio perficiendo uſus eſt celeritate, ut, cum ceteri ſeqverentur, a concilio jam confirmationem electo Upſalenſi impetraſſet. Hinc gravi inter illum ceterosqve orta diſſenſione, Romam ceteri petunt. Illo autem in patriam reverſo, Johannes Benedicti confirmatione concilii contentus ejusdem ex præcepto q) ab epiſcopis Lincopenſi & Scarenſi r) ſe conſecrari pallioqve donari curavit. Dum hæc Upſaliæ aguntur, ceteri legati, qvorum princeps fuit qvidam Carolus April, rem ad Nicolaum pontificem Romæ deferunt, qvi damnato Baſileenſi conventiculo, ut ejus verba audiunt, ſe poſthabitum fuiſſe ægre ferens, haud tamen Johanni Benedicti confirmationem denegavit, litterisqve electo ſcriptis pollicetur "ſi damnet ille & improbet præfatum conventiculum, ejusdemqve damnandas litteras & proviſiones rejiciat

q) Bullar. Celſ. p. 190.

r) Rhyzel. I. p. 48. his addit epiſcopos Aroſienſem & Aboenſem, qvo autore, neſcio.

& aspernetur, neqve illis utatur qvoqve modo, sed se pro summo pontifice & vero Christi vicario recognoscat, ad qvem pertineat electionis confirmatio & provisio" se ei non tantum veram daturum confirmationem, sed qvoqve in aliis rebus qvibuscunqve sese facilem exhibiturum esse s). His litteris acceptis, Johannes Benedicti iterum, ut ajunt, pie morem pontifici gerens, consecrationem & pallium recepit t).

Eximium vero erga sedem apostolicam obedientiæ deinde præmium retulit Johannes iste, dum litteris Calixti III pontificis, Ao. 1455 scriptis, primas Sveciæ salutatur u). Hinc novum illud, duos pariter esse Sveciæ primates; nam & Tuvo Lundensis, ut supra docuimus, se primatem Sveciæ appellavit. Birgerum Gregorii archiepiscopum Upsalensem jam hoc primatis nomen præ se tulisse contendit qvidem Messenius, Johannem Magni secutus, at absqve causa, id qvod satis luculenter apparet ex ipsius Caroli VIII ad capitulum Upsalense litteris Ao. 1464 missis x), qvibus de fastu Johannis Benedicti

s) Litteræ, scriptæ ut videtur Ao. 1448, exstant in Historia Erici Olai p. 370. cfr. Bullar. Cels. p. 190. Litteræ confirmatoriæ deinde anno seqventi missæ sunt. vid. Bullar. Cels. p. 191.

t) Ericus Olai p. 367. seqv. Rhyzel. I. p. 47. seqv. Bullar. Cels. l. c.

u) Bullar. Cels. p. 195. cfr. Peringskiold. l. c. p. 163 Messen. Sc. illustr. IV. p. 13. Rhyzel. l. c.

x) Sic regis verba audiunt; Ock hafwer han (Joh. Benedict.)

qvestus y), ipsum insolitum omnibus hucusqve archiepiscopis Upsalensibus primatis nomen sibi arrogasse, rex asserit. Ista vero, qvæ ei contigit gloria, minime fuit diuturna. Jacobum Ulphonem enim, qvi post hunc industria Stenonis Sturii senioris, invito capitulo, Ao. 1469 z) archiepiscopus creatus est, eodem primatis nomine superbiisse nulla est credendi causa, qvippe cujus litteris tantummodo: "archiepiscopus Upsalensis" subscriptum reperitur a). Nec tale qvid de Gustavo Trolle, cui iste patris rogatu Ao. 1514 sedem Upsalensem cessisse dicitur b), usqvam accepimus. Olaum Magnum, qvi postinde, fratre Johanne Magno exstincto, Ao. 1544 a pontifice Paulo III archiepiscopus Upsalensis electus est c), sese Sveciæ Gothiæqve primatem appellasse d), huc minus pertinet; ad munus enim nunqvam accessit, prætereaqve historiæ primatus Lundensis limites,

skrifwit wär käre Almoge til, kallandes sig wärs rikes Förste (primatem) ock Förständere, hvilket Herredöme han ei af oss fangit hafwer; ock är det aldrig förre hördt, at någon Erckiebiskop i Upsala hafwer haft eller skrifvit sig under sådanna titel." vid. Bullar. Celsii p. 31.

y) Hunc fastum vel sigillum solum declarat in Monum. Peringskioldii p. 163. ligno incisum, qvod effigiem exhibet corona insuper & sceptro & pomo ornatam.

z) Bullar. Celsii p. 201.

a) Differt. de meritis Jac. Ulphon. autore cel. Fant.

b) ibid. p. 10. cfr. Bullar. Cels. p. 215.

c) Bullar. Cels. p. 220.

d) Peringskiold. l. c. p. 174. Rhyzel. l. p. 55.

siqvidem tum exstincti, excedit. Ad jura primatus Lundensis, qvatenus adhuc valerent, diminuenda hoc certe qvoqve nil efficere potuit, qvoniam ista omnis recens dignitas in solo nomine versabatur; neqve pristinis temporibus, nec nostra ætate desunt exempla, duos pariter exstitisse primates, qvi tamen, cum alter alteri fuerit subjectus, nomine tantum pares fuere e).

Hinc illud unius nomen haudqvaqvam est documentum sublatæ dignitatis Lundensium, qvi per omnia discrimina nomine primatis, licet qvidem in lapidibus eorum sepulchralibus haud semper inveniatur, sese appellare haud unqvam desiere f).

e) Ita Sec. XI archiepiscopus Lugdunensis primatis nomine ornatus est, haud absqve multis clamoribus primatis Galliæ, cujus is fuit suffraganeus. Eodem seculo ab Alphonso Hispaniæ rege, pontifice connivente, Hispaniæ Galliæqve Gothicæ primas constitutus est archiepiscopus Toletanus. Hinc perpetuæ cum archiepiscopo Narbonensi contentiones, & vel hodie rixantur Toletanus atqve Bragensis archiepiscopi, utroqve primatem Hispaniæ sese appellante. Exemplum meri nominis gesti præbet archiepiscopus Pisanus, qvi vel hodie primas Sardiniæ dicitur, cum tamen nulla in illa insula hodie potiatur juris dictione. cfr. Bower. VII p. 14. Marca de primatib. n. 125 & 126. p. 94. seqv.

f) Multos exstitisse archiepiscopos Lundenses, non simul primates dictos, demonstrare, & qvidem prolixe, voluit Messen. Scond. illustr. XII p. 81; operam vero perdidisse est qvod doleas. At contrarium demonstravit Rhyzelius, plurimorum insignia sepulcralia recensens. Monumento qvidem Johannis Laxmanni titulus primatis inscriptus haud reperitur; at nihilominus exstitit primas, qvo qvoqve no-

33. *Fulmina a sede Lundensi vibrata.*

Haud sine fragore, postqvam diu floruit viguitqve, occidit primatus Lundensis.

Post obitum Johannis Brocksdorp ecclesiæ Lundensi moderandæ eligitur Birgerus Gunnari, obscuro qvidem loco ortus, at multis animi dotibus insignis, qvi in ista incidit tempora, cum infestissimam invidiam invicem exercerent Sveci Daniqve. Ob exosum Danorum imperium continuæ in Svecia exstabant factiones, qvæ, per familiam Sturianam maxime firmatæ, nullum unqvam in hanc gentem Daniæ regibus tranqvillum reliqverunt dominium. Hisce turbis nunqvam fortasse permota fuisset sedes apostolica, nisi Sturii illi, factionum principes, inconsiderate agentes clerum, qvin ipsum archiepiscopum Upsalensem ob amicitiam cum rege, vexassent. Talia ægre ferens Leo X, Romanus ea tempestate pontifex, primo Stenonem Sturium ob contumaciam contra reginam Christinam, in concilio Lateranensi, anathemate percussit Ao. 1514 g); deinde vero ob contemtum cleri Birgero Gunnari, ceu Sveciæ primati, litteris Ao. 1517 scriptis h) commendat crimina ejusdem examinanda, qvorum cognita veritate, Birgerus jure Constitutionis Clementinæ de episcoporum

mine in litteris ad concilium Basileense se decoravit. cfr. Pontoppid. II. p. 566.

g) Bullar. Cell. p. 214.

h) ibid. p. 216.

persecutoribus procedere litteris iterum jubetur. His verum acceptis, e sede primatus conspicuus vibrante manu fulmina jactat, litteras promulgans, qvibus Sturium ejusqve fautores sollenni more excommunicat, ipsumqve declarat indignum, qvi populo præesset, vel magistratus cujuscunqve munia obiret, prolemqve ejus masculam, gradus etiam secundi, qvæ ecclesiasticis officiis beneficiisqve in Upsalensi dioecesi provideretur, ineptam declarat i).

Licet bruta hæc fulmina fuerint, Sveciqve ne majus qvidem interdictum, qvo duos post annos, Birgero jam mortuo, universum Sveciæ regnum multatum est, vererentur k), sat tamen superius dicta indicabunt, haudqvaqvam audiendos esse, qvi asserunt primatum Lundensem longe ante hæc tempora evanuisse. Nunqvam lege aut mandato exstinctus est, sua qvippe jura, si vel non semper pari successu, tuitus, eademqve in extremo momento omni vigore exercens. Jam vero ipsa tempora exigebant mutationem: vincula, qvibus, licet invita, nobis hucusqve alligata fuerat gens vicina, erant soluta: lux melioris doctrinæ pontificiæ rei infestissima interitum hierarchiæ minabatur: nemo non jugum respuebat, impugnabatqve: — tum occidit primatus Lundensis.

---

i) Litteras habet Hvitfeld. II. p. 126. cfr. Celse. Bullar. p. 217.

k) Hvitfeld. II. p. 1138. Peringskiold. l. c. p. 17. Celse. Bullar. p. 218. seqv.

Appendix.

34. *Qvasi-archiepiscopi Lundenses.*

Qvoniam a summo inde fata ecclesiæ Lundensis repetiimus, ad postremum usqve persequemur.

Birgerus Gunnari, ut ultimus primas Sveciæ inter Lundenses ita ultimus qvoqve ejusdem ecclesiæ archiepiscopus merito censendus est; ceteri enim, qvi pro arbitrio vel capituli vel Christierni II vel Friderici I post eum electi dictiqve sunt archiepiscopi, haud jure nomen meruere, qvippe sive non consecrati, sive post consecrationem haud munere functi, sive archielectorum nomine contenti fuisse reperiuntur.

Ita Birgero mortuo Ao. 1519, capitulum Lundense juribus uti volens, Achoni Sparre, tunc temporis ecclesiæ decano, archiepiscopale munus detulit, qvod vero, cum regi minus placuisset, Secretario regis Georgio Scotborg Acho cedere coactus est. Georgius Ao. 1520 tali modo designatus, non prius qvam biennio post, cum ob inimicitias cum rege ortas sese regno subduceret, Romam petiit consecrandus. Consecratione qvoqve, curante pontifice Clemente VII, potitus est, at nunqvam in Daniam redire ausus Coloniæ Agrippinæ diem obiit supremum. Christiernus interim post illius ex Dania discessum, Theodoricum Slagheck, hominem obscurum, at ad qvæcunqve facinora paratissimum, ecclesiæ Lundensi, invito qvidem capitulo, Ao. 1521 præfecerat; haud

vero ita multo post, ipso Christierno jubente, facinorum dedit poenas, jugulatus nempe & mox in cinerem conversus. Huic suffectus est, rege rursus procurante, Johannes Wæss, Juliacensis, qvi post annum & qvod excurrit, bonis ecclesiæ convasatis, supellectiliqve multo pretioso seçum abducto, Christiernum ipsum profugum comitatus e regno aufugit. Qvo facto Acho Sparre jam olim electus archiepiscopatum adit obtinuitqve.

Cum vero non consecratione, qvinimo ne confirmatione qvidem pontificis gauderet, electus tantummodo; non archiepiscopus, dictus est.

Haud multo post Ao. 1532 Torberno Bilde deinde provinciam cessit, qvi nomine electi postremus omnium catholicorum ecclesiæ Lundensis præsulum demum capitur, munereqve a Christierno III exuitur. Jam omnia sedis archiepiscopalis bona in publicum fiscum translata regii juris facta sunt; Torbernus vero pristinæ redditus libertati magno apud regem honore ad mortem usqve Ao. 1553 habebatur l).

l) Magnus Matthiæ p. 226-238.

DIPLOMATARIUM.

No. 1.

Litteræ Alexandri III

ad Stephanum, archiepiſcopum Upſalenſem Ao. 1163 datæ *).

Venerab. fratri Stephano ejusqve ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis. — — Juxta qvod a prædeceſſoribus noſtris ab anteactis temporibus diſpoſitum fuerat ac ſtatutum, ſed nondum executione operis adimpletum — — — pallium, pontificalis ſcilicet officii plenitudinem, tibi, duximus indulgendum. — — Statuimus autem, ut ſicut tu de conceſſione & mandato noſtro conſecrationis munus a vener. fratre noſtro Lundenſi archiepiſcopo ſuſcepiſti, ita & ſucceſſores tui ab eo, & a ſucceſſoribus ſuis, conſecrationem debeant absqve ulla contradictione recipere, & tanqvam proprio primati obedientiam & reverentiam exhibere. —

*) Peringſkiold. Mon. Upland. p. 164. Scheffer in chron. vet. archiep. Upſal. p. 45. Örnhielm. Hiſt. eccl. p. 482. Pontopp. I. p. 396. Celſ. in bullar. p. 38.

No. 2.

Litteræ Wilhelmi Abbatis

nomine Eskilli, primatis Lundensis, scriptæ Ao. 1177 *).

Sedes apostolica qvanto longius a nobis semota videtur, tanto freqventius irruentibus malis, multis afflicti injuriis, sanctissime pater, consilium & auxilium a vestra gratia expetere perurgemur. Experta siqvidem gratia præteritorum confert nobis fiduciam futurorum. Notitiam itaqve, pater, vestram credimus, immo scimus, non excessisse a prædecessoribus vestris & gratia vestra donatos honore in privilegiis sedis apostolicæ in regno Daciæ atqve Sveciæ, & ecclesiam nostram ab antiqvo ejusdem Svetiæ primatiam obtinere. Verum, qvia populus illius regni minus est obseqviis divinis subjectus, nobis honor debitus vix aut nunqvam impenditur. Inde est, qvod archiepiscopus & ipsius suffraganei convenire negligunt, & nonnunqvam edictis regalibus se detineri in excusationem ad nostram citationem prætendunt. Si qva igitur ibi aliqvando fuerint corrigenda, noverit Sanctitas vestra, qvod omnia permanent impunita, cum & nobis ea denegetur corrigendi libertas. Paternitatem igitur vestram super hoc dignum duximus consulendam, rogantes, ut ab hoc, qvod citationes nostras devitant, severitatis apostolicæ

*) Langebeck, Script. rer. dan. T. VI. p. 77.

rigorem ſentiant, ne tale qvid ulterius attentare præſumant.

No. 3.

Litteræ Innocentii III

ad Abſalonem, primatem Lundenſem, Ao. 1198 datæ *).

Abſaloni Lund. archiep. ejusqve ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. — — **) — — Qvod utiqve — — — ſub anteceſſoribus noſtris bonæ mem. Lucio & Clemente, ſecundum præſcriptum ordinem in Jo. & Petro ſupradictæ eccleſiæ epiſcopis, qvos tua fraternitas in archiepiſcopos conſecravit, & pallium vice ipſorum anteceſſorum noſtrorum contulit, dignoſcitur adimpletum. Qvoniam igitur hoc, ſicut a prænominato Adriano anteceſſore noſtro ſtatutum eſt, ita ſub te & anteceſſore tuo effectum accepit, nos memorati Adriani & felicis recordationis Alexandri, Lucii, Urbani, Clementis & Coeleſtini prædeceſſorum noſtrorum, rom. pontif. veſtigiis in tam laudabili opere inhærentes, noſtro & fratrum noſtrorum favore proſeqvimur, & firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. — —

*) Baluz. T. I. p. 246. Benzel. mon. eccl. p. 191. Bullar. Celſ. p. 46.

**) Tenor harum litterarum plane idem ac ſeqventium ab eodem pontifice Andreæ Lundenſi ſcriptarum.

No. 4

Litteræ Innocentii III

ad Andream, primatem Lundensem, d. 23 Nov. 1202 datæ *).

Ven. fratri Andreæ, archiep. Lund. hujusqve successoribus canonice substituendis. — — — Adrianæ papæ, antecessoris nostri, vestigiis inhærentes, qvod ipse de consummatione regni Sveciæ, cum fratrum suorum consilio & voluntate, constituit, nos etiam firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Constituit enim, qvod Lundensis archiepiscopus, qvi pro tempore fuerit, super regnum illud primatum semper obtineat, & ordine qvi seqvitur, debeat illi præesse: qvi tanto freqventius illi terræ & utilius qvæ ad salutem fidelium pertinent ministrabit, qvanto necessitatem eorum atqve defectum e vicino plenius poterit intueri. Pallium enim antecessori tuo tribuit, ut archiepiscopum in regno Sveciæ, qvanto citius opportunitas occurreret, ordinaret, & pallium qvidem apostolica ei autoritate referret, eo qvidem ordine observato, ut videlicet is, qvi per Lundensem episcopum Metropolitanus ibi fuerit institutus, gratiam consecrationis per manum archiepiscopi Lundensis adeptus, ipsiqve & Lund. ecclesiæ, salva fidelitate Romanæ ecclesiæ, fidelitatem & obedientiam juramento promittat. Pallium sane taliter conseqvetur: Nuncius Lund. eccle-

*) Celsius in bullar. p. 49. habet A. 1202. Hvitfeld I. p. 169. & Pontopp. I. p. 605. præferunt A. 1201.

siæ cum nuncio illius ecclesiæ pro impetrando pallio ad ecclesiam Romanam accedant, & cum illud a Romano pontifice impetraverint, ad Lund. ecclesiam reportabunt; Lund. autem archiep. illud accipiens, archiep. Sveciæ tribuet, qvi fidelitatem & obedientiam Romanæ ecclesiæ jurejurando promittet. Metropolitano vero ibi ad honorem Dei & decorem domus suæ salutemqve fidelium constituto, Lund. archiep. ei dignitate primatus in perpetuum præsidebit, & ipse obedientiam & reverentiam ei, tanqvam suo primati, humiliter exhibere curabit. Qvod utiqve in bona mem. Stephano, qvondam Upsalensi archiep. qvi a prædecessore tuo, piæ record. Eschillo, tempore fel. mem. Alexandri P. eo præsente Senoni, ratione jam dictæ institutionis, gratiam consecrationis accepit: & sub antecessoribus nostris, bonæ mem. Lucio, Clemente, Coelestino ac nobis, secundum præscriptum ordinem, in felicis record. Johanne & Petro, ac ven. fratre nostro O, Upsalens. archiepiscopis, qvos Absalon, prædecessor tuus piæ mem. consecravit, & pallium, vice ipsorum antecessorum, contulit, dignoscitur adimpletum. Nos memorati Adriani & fel. record. Alexandri, Lucii, Urbani, Clementis & Coelestini, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hæc firma & illibata perpetuis temporibus decernimus permanere.

No. 5.

Litteræ Innocentii III

ad eundem, d. 16 Nov. Ao. 1204 datæ *).

— — istud onus pro nobis assumas, ut censum b. Petri per regna Daniæ & Sveciæ fideliter colligas, & reserves ipsum nobis, per fidelem nuncium transmissurus. — Ut autem hujusmodi plenius & liberius possis efficere, plenam & liberam tibi concedimus facultatem, ut contradictores, si qvi fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas.

No. 6.

Litteræ Innocentii III

ad eundem, d. 19 Nov. Ao. 1204 datæ **).

— — Tuæ fraternitati concedimus, ut in Lundensi & Upsalensi archiepiscopatibus vice nostra evellas, destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes, sicut ad honorem Dei, exaltationem ecclesiæ ac salutem populi tibi commissi videris expedire. In his ergo & aliis te talem exhibeas, ut fama tui nominis, qvæ svavem diffundit odorem, per hyemem tribulationum temporalium non marcescat, sed in actibus suis ver potius & æstatem ostendat, qvæ suo

*) Lagerbring. II. p. 415. Bullar. Cels. p. 49.
**) Lagerbring. II. p. 435. Bullar. Cels. p. 50.

agricolæ vineam comittenti, fructum reddent uberrimum.

N 7.

Litteræ Innocentii III

ad eundem Ao. 1204 datæ *).

Significasti nobis per litteras, qvo vener. frater noster — — archiepiscopus Upsalensis per incendium *palleum*, qvod habebat, amisit, unde pro ipso humiliter per litteras & nuntios postulasti, ut aliud illi mittere dignaremur, cum ipse in ecclesia ejus multa paupertate laborans, propter qvod specialem non potuit nuntium ad sedem Apostolicam designare. Licet autem tibi privilegium sedis apostolicæ sit concessum, ut Upsalensi sede vacante, cum aliqvem ibidem subrogare contingit, nuntiis tuis & ecclesiæ Upsalensis, ad sedem apostolicam accedentibus, palleum concedatur per te subrogato pontifici conferendum. Qvia tamen sedes illa non vacat, nec ipsum dandum de novo reqviritur, & tu tantum pro petitione ipsius tuos destinasti nuntios, non ille, de jure potuimus postulata negare. Verum ut supplicationi tuæ, cui volumus qvantum possumus cum Deo deferre, gratiam faciamus, palleum ipsum tibi per tuos nuntios duximus destinandum, per te archiepiscopo as-

*) Lagerbring. II. p. 420. cfr. Bullar. Celf. p. 49.

ſignandum eidem, ita tamen, qvod hæc in poſterum ad conſeqventiam non trahatur. —

No. 8.

Litteræ Innocentii III

ad eundem, d. 25 Oct. Ao. 1207 datæ *).

— — qvia de legitimo non eſt matrimonio procreatus, ipſum (*Valerium*), ſicut vir providus & honeſtus, in eisdem litteris non *electum*, ſed potius ad epiſcopale *vocatum* officium nominaſti, humiliter ſupplicans &c. — — Nobis autem cum fratribus noſtris ſuper hoc habentibus diligentem tractatum, multa incerta & dubia occurrerunt, tam qvia ignoramus, qvantum idem V. defectum in natalibus patiatur, cum multiplex ſuper hoc conſiderationis delectus debeat adhiberi. — Accedit ad hoc, qvod cum in ipſa provincia presbyteri ex prava conſvetudine mulieres ſibi non metuant matrimonialiter copulare, ſi ejusmodi conſvetudinem intendis de ipſa, ſicut accepimus, exſtirpare, indecens eſſet pariter ac abſurdum, ut ad tantum officium talis aſſumeretur perſona &c. — —

*) Baluz. II. p. 85. Lagerbring. II. p. 425. Benzel. p. 194. Bullar. Celſ. p. 50.

No. 9.

Litteræ Honorii III

ad Valerium, archiep. Upſalenſem d. 1 Febr. Ao. 1217 datæ *).

Valerio & ſuffraganeis, itemqve epiſcopis per Lundenſem provinciam conſtitutis: — Non tam perſonæ venerabilis fratris noſtri, Lundenſis archiepiſcopi, meritum, qvam fructum, qvi provenire poterit animarum, ſedula moderatione penſitans, vices noſtras, tam in Lundenſi, qvam in Upſalenſi provinciis, eidem epiſcopo duximus committendas. — — Proinde in his, qvæ ad ſuam audientiam de prædictis provinciis deferuntur, examinatis ſeu cognitis cauſæ meritis, diligenter malos exerceat, — — ita qvod illibata ſervet cuilibet jura ſua, & ſi ab aliqvo ab ipſo archiepiſcopo fuerit appellatum, deferens honori ſedis apoſtolicæ, ſicut debet, terminum ſtatuat appellanti. — — Cum autem contigerit, archiepiſcopum memoratum provincias viſitare, procurationes exigat moderatas, & ſi qvæ beneficia tanto tempore vacaverint, qvod ad nos ſit eorum collatio, ſecundum ſtatuta Lateranenſis concilii, devoluta, liceat ipſi archiepiſcopo providere volentes: autoritate præſentium indulgentes, ut liceat ſibi iis, qvi in canonem latæ ſententiæ inciderunt, munus abſolutionis impendere, niſi tam fuerit enormis exceſſus, qvod propter

*) Bullar. Celſ. p. 55. Vaſtov. vit. aqvil. ed. Colon. Agrippinæ 1623. p. 168. Lagerbring. II. p. 455.

atrocitatem injuriæ, ut alii terreantur exemplo, ad ſedem ſint apoſtolicam deſtinandi. Ad hæc cum cruce ſignati, qvi fuerint in provinciis antedictis inhabiles ex facultatibus aut perſonis ad ſubſidium terræ ſanctæ, ſibi liceat, cum expedire viderit, diſpenſare vota peregrinationis, unius in alterum commutato &c. — —

No. 10.

Litteræ Honorii III

ad Andream, primatem Lundenſem, d. 16 No. Ao. 1217 datæ *).

Lundenſi archiepiſcopo, ejusqve ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. — — **) — — Qvod utiqve in bonæ memoriæ Stephano qvondam Upſalenſi archiepiſcopo, qvi a prædeceſſore tuo piæ recordationis Eſkillo archiepiſcopo, tempore felicis memoriæ Alexandri papæ, eo præſente Senonis, ratione jam dictæ inſtitutionis gratiam conſecrationis accepit, & ſub anteceſſoribus noſtris bonæ memoriæ Lucio, Clemente, Coeleſtino, Innocentio ac nobis, ſecundum præſcriptum ordinem in felicis record. I.

*) Lagerbring. II. p. 275. Bullar. Celſ. p. 60. Porthan. p. 7.

**) Confirmatur conſtitutio Adriani pontificis, eademqve circa pallium ordinantur ac ſupra ab Innocentio III ordinata accepimus. cfr. No. 4.

& P. (Johannis & Petri), ac venerab. fratre nostro O. (Olavo Lambatunga) Upsal. archiep. qvos prædecessor tuus piæ memor. consecravit & palleum vice ipsorum antecessorum nostrorum contulit, dignoscitur adimpletum. Qvoniam igitur &c. *).

No. 11.

Litteræ Honorii III

ad Petrum, Electum Lundensem, d. 11 Jan. Ao. 1224 datæ **).

Cum post petitam instantiam, & demum obtentam venerab. fratris nostri — — qvondam Lundensis archiepiscopi cessionem, vota Canonicorum Lundensium in te, tunc ipsorum præpositum, concorditer convenissent, qvia tandem examinato sicut decuit processu electionis tuæ invenimus eam post publicationem consensuum & collationis fuisse protractam assensumqve tuum, priusqvam electus fueris, reqvisitum, electionem eandem ex ipsius duntaxat inordinato processu justitia cassavimus exigente. Verum ne gregi dominico diu deesset cura pastoris, cum tam per prædictum prædecessorem tuum, qvam Lundense Capitulum, necnon & multorum testimonia intelleximus Prælatorum, qvod oneri & honori Lunden-

*) Cetera vide in litteris Innoc. III. No. 4.

**) Porthan. p. 16.

ſis eccleſiæ ſcientia, ætate & moribus congruebas, te ipſi præficiendum providimus *).

No. 12.

Litteræ Gregorii X

ad Fulconem, Electum Upſalenſem, d. 18 Aug. Ao. 1274 datæ **).

Cum nos venerab. fratri noſtro Aroſienſi epiſcopo noſtris dederimus litteris in mandatis, ut tibi, qvem nuper Upſal. eccleſiæ præfecimus in archiepiſcopum & paſtorem, adſcitis ſibi duobus vel tribus epiſcopis, munus conſecrationis impendat, ne te oporteat ad eandem ſedem apoſtolicam pro obtinendo ab ipſa palleo, qvod eſt inſigne pontificialis officii, accedere ſeu nuncium deſtinare, ac exinde laboribus ſeu ſumtibus fatigari, tuis ſupplicationibus annuentes, palleum ipſum per te, cum ea qva decet inſtantia poſtulatum, de beati Petri corpore ſumtum, per Rogerium Canonicum eccleſiæ Upſalenſis aſſignandum tibi per eundem Aroſienſem epiſcopum ei duximus deſtinandum, ut poſtqvam conſecrationem ipſam acceperis, illud tibi aſſignet ſub forma, qvam ei ſub bulla noſtra mittimus intercluſam, & a te noſtro & eccleſiæ romanæ nomine ſub forma qvam ſub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiat juramentum. Vo-

*) Deinde de pallio ſibi tradendo edocetur.

**) Schefferus in Chron. vet. arch. Upſal. p. 52.

lumus autem, qvod per hoc Lundensi ecclesiæ, cui prædicta Upsalensis ecclesia subesse dicitur, nullum præjudicium generetur.

No. 13.

Litteræ Nicolai III

ad Jacobum, Electum Upsalensem, d. 5 Apr. Ao. 1278 datæ *).

Munus confirmationis & consecrationis te rite a Venerab. fratre nostro — — archiep. Lund. Sveciæ primate obtinuisse proponens concedi per nos tibi pallium — — instantia qva decuit postulasti, dilectis filiis Andrea — — & Simone — — procuratoribus tuis ad nostram propter hoc præsentiam destinatis. Sane postmodum dilecto filio Petro Canonico Lundensi procuratore dicti archiepiscopi proponente fore dudum autoritate indulti apostolici observatum, videlicet qvod hujusmodi pallium debet eidem archiepiscopo præsentari, per eum postmodum Electo Upsalensi tradendum, tuisqve procuratoribus asserentibus contrarium esse servatum a tempore cujus memoria non existit. Nos super hoc de congruo remedio providere volentes, venerabil. fratribus nostris — — Lincopens. & — — Roskildens. episcopis pallium — — ut illud tibi vice nostra juxta

*) Vastov. p. 187. cfr. Bullar. Cels. p. 88.

formam qvam eis mittimus, ipsi vel eorum alter assignent & tradant, & a te juxta formam qvam similiter eis dirigimus fidelitatis juramentum per dictos Canonic. Upsal. & rectorem providimus destinandum. Nolentes qvod per hoc Lundens. præjudicium generetur, Upsalens. vero ecclesiis jus novum aliqvod acqviratur. — —

No. 14.

Litteræ Honorii IV

ad Johannem, primatem Lundensem, d. 18 May Ao. 1285 datæ *).

Palleum — — fuit a nobis pro dilecto filio Magno electo Upsalensi per dilectos filios Petrum Agnetis Canonicum Lundensem & Hermingum, Clericum Upsalensis Dioeceseos nuncios, cum ea, qva decuit, instantia postulatum, & dum de concessione ipsius pallei ageretur, idem Petrus pro parte ipsius ecclesiæ Lundensis asseruit, dictum palleum tibi specialiter fore mittendum, per te assignandum electo prædicto, prætendens per privilegium Apostolicum apparere, qvod archiep. Lund. primatum obtinens, præest archiep. Upsal., & qvod tum expedit palleum impetratum a romano pontifice per nuncios ecclesiarum

*) Schefferus in Chron. vet. arch. Upsal. p. 55. cfr. Bullar. Celf. p. 91. Vastov. p. 189.

earundem ad ipſam Lundenſem portetur eccleſiam, & per Lund. archiep. Upſalenſi electo conſecrato in archiep. tribuatur. In regeſtro qvoqve felic. record. Gregorii Papæ noni prædeceſſoris noſtri noſcitur fuiſſe repertum, qvod olim palleum petitum per Canonicos eccleſiæ Lund. nuncios tunc pro Upſalenſi electo fuerat anteceſſori tuo archiep. Lund. transmiſſum, eidem electo per eundem archiep. aſsignandum. Sed eodem Hermingo pro dicta Upſalenſi eccleſia in contrarium aſſerente prædicta non fuiſſe ſervata, nos præcavere volentes ne dictæ eccleſiæ ſub talibus anfractibus diſpendium patiantur, hujusmodi petitioni duximus annuendum, & per eosdem Petrum & Hermingum dictum palleum — — tibi transmittimus aſsignandum eidem Magno electo — — Qvocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus &c. — — Cæterum non intendimus qvod per hoc tibi vel eccleſiæ tuæ novum jus aliqvod acqviratur, vel prædictæ Upſalenſi eccleſiæ in proſecutione juris ſui, ſi qvod circa præmiſſa ſibi competit, qvod petitionem in aliqvo derogetur.

No. 15.

Litteræ Johannis Poloni arch. Upſ.

contra excommunicationis ſententiam a primate Lund. latam, d. 20 Nov. Ao. 1290 datæ *).

In Nomine Domini, Amen. Qvia nos frater Johannes, Dei gratia electus Upſalenſis eccleſiæ, reputamus nos qvam plurimum gravatos ex eo & pro eo, qvo D. Lundenſis archiepiſcopus ſententias aliqvas excommunicationis & interdicti tulerit de facto in Præpoſitum & Capitulum eccleſiæ noſtræ Upſalenſis; cum tamen longe ante dictarum ſententiarum pronunciationem per ipſos, ſcil. præpoſitum & Capitulum, ad ſedem Apoſtolicam exſtitit appellatum, prout plene in litteris ſuper hoc confectis patet. Ideo opportunum volentes adhibere remedium, ac præcavere ne prætextu ſententiarum, qvas inanes reputamus, utpote poſt appellationem legitime interpoſitam latarum, per dictum D. Lundenſem, ſcandalum grave in populo noſtræ provinciæ ſuſcitari videatur, ſub poena excommunicationis decrevimus prohibendum, ne qvis ſuffraganeorum, ſeu aliorum ſubditorum noſtrorum, dictas ſententias, ſeu alias qvascunqve per ipſum ferendas, in eccleſiæ noſtræ Upſalenſis præjudicium, publicare præſumat, ſeu a ſuis ſubditis publicari permittat. Alioqvin noverint, qvi contra hanc noſtram inhibitionem præſumentes,

*) Meſſen. Scond. illuſtr. XII, p. 78.

sententiam excommunicationis, qvam ex nunc ut ex tunc ferimus, in his scriptis, incurrant ipso facto,

---

No. 16.

Litteræ Capituli Upsalensis

contra primatum archiep. Lund. ad Nicolaum IV d. 20 Jun. Ao. 1290 datæ *).

— — facimus, constituimus & ordinamus — — Nicolaum Decanum & M. Laurentium — — ad repræsentandum de nostro & ecclesiæ nostræ nomine, coram Sanctitate vestra, & ad exponendum damna gravamina & importabilia onera, qvæ obvenerunt obveniunt & obvenire possunt nobis, & præfatæ ecclesiæ Upsalensi, pro eo & ex eo & ea occasione causaqve, qvod Lundensis archiepiscopus contra nos & ecclesiam Upsalensem sibi vendicat & vendicare nititur primatiam, asserens qvod Upsalensis Electus confirmationem, consecrationem & etiam pallium recipere teneatur. Et ad supplicandum Sanctitati Vestræ, qvatenus compatientes nobis & ecclesiæ nostræ Upsalensi, apponere dignemini remedium opportunum, ut dicta Upsalensis ecclesia occasione hujusmodi ulterius non gravetur. — —

*) Messen. Scond. illustr. XII. p. 78 & 79.

No. 17.

Litteræ Bonifacii VIII

ad capitul. Upſalenſ. d. 17 Aug. Ao. 1295 datæ *).

— — vos — — Nicolaum — — elegiſtis; contra qvam electionem & ejus proceſſum tunc in Romana curia per dilectum filium Carolum Erlandi Canonicum Upſal. exſtitit appellatio apud Coeleſtinum Papam, nobis tunc Presbytero Card. tit. de SS. Montibus, diſcutienda. Et qvanqvam ante diſcusſionem Nicolaus, ſuæ cupiens providere qvieti, jus ſuum in noſtras manus reſignavit, nos tamen deinceps eum confirmavimus archiepiſcopum, & pallium illi per manus Cardinalium delegatorum Romæ tradi curavimus, ſalvo Lundenſis jure, qvi in eadem eccleſia jus primatiæ aſſerit ſe habere. —

No. 18.

Profesſio Olavi Beronis, arch. Upſ.

coram primate Lundenſi Ao. 1315 edita **).

Ego Olavus Upſalenſis eccleſiæ ſedis ordinandus epiſcopus, & ſacroſancto miniſterio veſtro prædica-

*) Bullar. Celſ. p. 97.

**) Meſſen. Scond. illuſt. XII. p. 79 & 80.

tionis officium suscepturus — — — privilegio tuo sanctæqve Lundensis ecclesiæ, tuisqve successoribus, secundum sacros canones & decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse meo, in qvantum antecessores mei obedierunt, & subditi fuerunt, pro ejusdem qvoqve Metropolis publicis & privatis negotiis, studio, consilio & societate me elaboraturum, & absqve illius consensu nullum præbere in magnis negotiis vel ordinationibus assensum, nisi in eo qvod ad propriam pertinet parochiam meam atqve provinciam, profiteor ut supra, & huic professioni meæ coram Deo & sanctis ejus, sub testimonio qvoqve præsentis ecclesiæ, subscribo.

No. 19.

Litteræ Capituli Upsalensis

ad Petrum, primatem Lundensem, Ao. 1341 datæ *).

Venerabili in Christo patri ac domino D. Petro divina providentia archiepiscopo Lundensi Sveciæqve

*) Lagerbring. III. p. 348 & 353.

primati, Præpositus & capitulum ecclesiæ Upsalensis. — Defuncto felic. memor. D. Petro olim archiepiscopo nostro — — — Paternitati igitur vestræ tam devote qvam humiliter duximus supplicandum, ut electionem nostram prædictam sic confirmare, & voto unanimi & canonice celebratam dignemini confirmare, & prædicto nostro electo, confirmatione per vos obtenta, consecrationis munus velitis favorabiliter impertiri &c. — —

No. 20.

Litteræ Innocentii VI

ad Petrum archiel. Upsal. d. 4 Jan. Ao. 1353 datæ *).

Cum pallium — — ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Johannem Caroli, Canon. Upsal. nuncium tuum cum ea qva decuit instantia postulatum; nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum — — per venerabiles fratres nostros Lincopens. & Vexionens. episcopos assignandum, per præfatum Johannem duximus destinandum, ut iidem episcopi, vel eorum alter, tibi illud assignent — — & a te

*) Lagerbring. III. p. 647. Bullar. Cels. p. 124.

nostro & ecclesiæ Romanæ nomine — — fidelitatis debitæ recipiant juramentum.

No. 21.

Intercessio ecclesiæ Svecanæ

crucis antelationi primatis Lundensis, Calmarniæ d. 5 Jun. Ao. 1444, interposita *).

Nos Nicolaus Lincopensis, Ericus Strengnensis, & Laurentius Vexionensis, Dei gratia ecclesiarum episcopi — — nomine & ex partibus reverend. — — Nicolai archiep. Upsal. — — publice protestando dicimus, qvod qvamvis ob reverentiam & decorem crucis & — — Domini regis Christophori, pro nunc in loco isto personaliter existentis, & pro bono pacis pro hac vice patienter qvantum possumus de facto toleramus, qvod reverend. — — Tuvo, archiep. Lund. extra limites suæ provinciæ contra juris dispositionem, hic Calmarniæ crucem suam facit sibi publice anteferri. Nihilominus tamen per hanc tolerantiæ nostræ patientiam, ipsi sedi metropolitanæ Upsalensi, nobis ac incolis provinciæ Sveciæ, nullum

*) Messen. Scond. illustr. XII, p. 83.

penitus præjudicium volumus qvomodolibet generari, seu alias provenire. Nec propter hujusmodi crucis portationem, eidem D. archiep. Lund. sicut primati, vel qvamcunqve aliam majoritatem in provinciam Sveciæ vendicare prætendenti, reverentiam exhibere volumus, nec deferre eidem. —



